

Conrad Iken George Douglas

Dissertatio Theologico-Philologica De Institutis Et Ceremoniis Legis Mosaicae Ante Mosen

[1]

Bremae: Jani, 1751

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn829328475>

Band (Druck) Freier  Zugang 



383 a. B.
48. 6. 8.

16a

Fa-1092 (16.1)

10.

DISSE^{24.}
TATION^{23.}
THEOLOGICO-PHILOLOGICA^{22.}
DE^{21.}
INSTITUTIS^{20.}
ET^{19.}
CERIMONIIS^{18.}
LEGIS MOSAICÆ^{17.}
ANTE MOSEN,^{16.}
OCCASIONE SACRÆ SYNAXEOS,^{15.}
AB ILLUSTRIS LYCEI CIVIBUS CELEBRANDÆ,^{14.}
A. D. JOVIS QUI ERIT VIII. JUL. A. MDCCLL.
PRÆSIDE^{13.}
RECTORE MAGNIFICO,^{12.}
CONRADO IKENIO^{11.}
SS. TH. D. ET P. P. O. AD ÆD. D. STEPH. PAST. PRIM.
ET^{10.}
RESPONDENTE^{9.}
GEORGIO DOUGLAS^{8.}
SCHIFFENBURGO BORUSSO,^{7.}
AD VENTILANDUM PROPOSITA^{6.}
H. L. Q. S.^{5.}

B R E M Æ,

TYPIS VIDILE B. HERM. CHRIST. JANI, QVONDAM ILLVSTRIS
GYMNASII TYPOGRAPHI.

PERILLUSTRIBUS
REIPUBLICÆ BREMENSIS
PRO CERIBUS
PERQUAM MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS,
CONSULTISSIMIS,
VIRIS

Dicitur. Henrico Lampe,
JCTO PRÆCELLENTISSIMO, CONSULI SENIORI,
ET CUM MAXIME PRÆSIDI DIGNISSIMO, ECCLESIA-
RUM, QUÆ CHRISTO IN AGRIS COLLIGUNTUR,
VISITATORI VIGILANTISSIMO.

Dicitur. Christ. Schoene,
JCTO SUMMO, CONSULI DE OMNI REP. MULTIS
MODIS OPTIME MERITO, XENODOCHII AD D. REM-
BERTI PROVISORI, BIBLIOTHECÆ ÆDISQUE D. MI-
CHAELIS INSPECTORI SUPREMO, PRUDEN-
TISSIMO.

Dicitur. Volchardo Min-
Deman,

JCTO EMINENTISSIMO, CONSULI PRO REIP. COM-
MODIS SUMMA CURA EXCUBANTI.

Dicitur. Henr. Gerhardo
Schumacher,

JCTO CONSUMMATISSIMO, JUDICI HÆREDITARIO
IN BORGFELD, CONSULI MERITISSIMO, JLL. LYCEI,
QUONDAM INSIGNI DECORI, ET CUM MAXIME
SCHOLARCHÆ GRAVISSIMO.

NEC NON
V I R O
PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO,
CONSULTISSIMO,
D O M I N O

HIERONIMO KLUIGKIST,


JCTO EXCELLENTISSIMO, SENATORI, INSPECTORI
ÆDIS D. MICHAELIS, REIQUE MILITARIS PRÆFECTO,
ILLISTRIS LYCEI CONSTITUENDI DUUMVIRO,
PRÆCLARISSIME MERITO.

MECÆNATIBUS, MUSARUM
QUE STA TORIBUS MUNIFI
CENTISSIMIS,

OB SINGULAREM IN LITTERAS
BENEVOLENTIAM, ATQUE FAVO
REM, OMNI HONORIS CULTU DE
VENERANDIS.

HANC DISSERTATIONEM

RESPONDENS.



DISSE
TATIO
THEOLOGICO-PHILOLOGICA
DE
INSTITUTIS ET CERIMONIIS
LEGIS MOSAICÆ ANTE MOSEN.

INTRODUCTIO.

I.

Præcipua prærogativa, quâ Moses præ omnibus aliis Prophetis excelluit, solùsque Magnus ille Propheta, instar Mosis, è medio fratrum excitandus, Messias, ipsi par fuit, in eo consistit, quòd doctrinâ suâ novam planè oeconomiam, introduxit, & Promissioni Legem superaddidit, quod nulli alteri Prophetæ, præterquam Servatori ipsi contigit, qui hac iterum abrogatâ, meliorem & ad finem seculorum usque duraturam, Evangelii Oeconomia-

A

nomi-

nomiam invexit. Etsi autem Moses primus foederis legalis conditor fuit, non tamen censendum est, omnia Legis hujus præcepta, cum universa rituum atque ceremoniarum farragine, nova planè & ad illa usque tempora incognita fuisse, quin potius sedulus Verbi divini ruspator deprehendet, plurima eorum jam ante Mosen viguisse, & per ipsum tantum, lege dein constituta, propriusque determinata, ampliata aut limitata fuisse.

II. Quod argumentum cùm diligentius examen mereretur, utpote & legibus & antiquitatibus judaicis, & innumeris S. Scripturæ locis haud exiguum lumen accendens, nec à quoquam ex professo pertractatum esset, constitui jam, inde à pluribus retrò annis, illi diligentius excutiendo, aliquando operam impendere. Licet autem interea Vir *Clarissimus* atque *Eru-
diissimus* HERM. SAM. REIMARUS, Professor Ham-
burgensis dignissimus, ante hos decem annos in Dis-
sertatione, *de Legibus Mosaicis ante Mose*, nonnulla
horum occupaverit, non tamen id me à pro-
posito deterruit, cùm ejus institutum in non paucis à
meo differat, & is in primis tantum Leges ipsas recen-
seat, & non pauca eò referat, de quibus ex mei pro-
positi ratione hīc agendum non habeo, & alia quædam
mihi præcipue eorum loco pertractanda veniant, unde
in illis, quæ nobis communia, & ab ipso fusiū excussa
sunt, brevior futurus, reliquis, quæ meum institutum
maxime flagitat, proprius immorabor.

III. Fiet autem id eo ordine, ut primum quæ verè
ante Mosis ætatem locum habuerint, eruam: tum in
illorum originem inquiram: & denique cur eadem
denuò Mosis lege fancita sint, subjungam.

Sec. 10

Se^ctio I.

§. I.

Per Instituta hæc & Ceremonias, non respicio ad ea, quæ vel ipsa Lege naturæ cognita sunt, ut actiones morales, quæ ex communibus rationis principiis sequuntur, aut quæ salus familiarum aut integrarum societatum necessariò flagitat, ut περοχη Parentum, aut qui integræ Societati præsunt, & subordinatio liberorum, eorumque qui aliis subjeeti sunt, & mutua inde prosilientia officia, vel denique, quæ in vitâ communi non minus necessariò locum habent, ut actiones naturales & physicæ, ex. gr. cibus, potus, & similia, qualia idcirco non apud Judæos tantum, sed & omnes pañim populos dudum obtinuerunt. Verum illa potius intelligo, quæ Deus sigillatiùs Jacobi posteris, ex omnibus gentibus sibi in populum peculii electis, erecto cum illis foedere præscripsit, aut cum apud illos jam antea vigerent, ipsem et confirmavit aut propriùs determinavit, quibusque adeò eorum actiones, tam in exercitiis externi cultus, quam viræ civilis, in republicâ ab ipso institutâ, aut privatæ in familiis, ritè & convenienter illi foederi atque reipublicæ, administrandis, circumscriptis.

§. II.

Ad exercitia cultus externi præcipue pertinet oblatio *Sacrificiorum* & aliorum *donorum*, sive ad placandum Numen, aut favorem ejus, ad felicem operis alicujus exsecutionem, sibi conciliandum, sive gratum animum eidem testandum, facta.

Sacrificiorum oblationem jam inde à primis ferè mundi incunabulis obtinuisse, tam certum est, quam quod certissimum. Non loquar hic de animalibus, ex quorum pellibus Deus Protoplatis tunicas paravit, licet dubitari nequeat,



illa quoque in sacrificia fuisse mactata, quoniam de iis opportuniore loco, infra Sect. II. nobis ex professo agendum erit. Enumerabo tantum hic prius ea, de quibus res evidentissima est.

De Abele disertis verbis legitur, Genes. IV, 4. *& Abel etiam ipse adduxit (obtrulit) de primogenitis gregis suæ, & de adipe eorum.* Illustris quidem GROTIUS verba hæc ita accipit, acsi Abel non ipsa animalia, sed *lanam* tantum & *lac* ex illis adduxerit. Licet autem illorum mores minimè laudandos censem, qui si Grotius diversum ab ipsorum cogitatis senserit, gravius in eum dicere non verentur, cum stupenda Summi Viri Doctrina, etiam quando humani quid passus est, manes ejus venerari jubeat, non possum tamen huic ejus sententiae subscribere. Primò enim, nullo verbo hic *lanæ* sit mentio, nec vox *Bechorot* quæ hic usurpatur, unquam alias, sive in sacrīs, sive in Judæorum Scriptis, quam de ipsis *animalibus primogenitis* adhibetur, neque oblationis *lanæ* pecudum, ullum ante Legem Mosaiicam certum vestigium ullibi occurrit, hæcque etiam sub lege, alià planè phraſi *ראשית הנזן primitiarum lanæ*, appellatur Deut. XVIII. 4. Nec de nihilo est, quod Paulus oblationem Abelis disertè *Suriav* appelleret Heb. XI, 4. Quæ vox à *Ιάνει* mactare descendens, propriè *sacrificium*, quod mactatur, innuit, & licet verbum *Ιάνει* aliquando quoque pro *adolere*, *incendere* odores usurpetur, ut docet GRÆV. in Lect. Hesiod. c. IX. & SCHOLIAST. ARISTOPH. ad Plut. v. 137. nemo tamen facile ostendet, illud Græcis de oblatione *lanæ* animalium unquam adhiberi. Deinde & vocis *חַלְבָּן* interpretatio per *lac*, et si ea CLERICO & ipsi jam JOSEPHO placuit, satis est conveniens. Licet enim utriusque significationis vox hebræa, iisdem litteris scribatur, & ab eodem themate *חַלְבָּן* Arab. *حَلْبٌ* *Mulsi*, *fluxit*, *adfluxit* *undique*, *confluxit*, *descendat*, punctis tamen vocalibus penitus discrepant, & *חַלְבָּן* quidem *lac*, *חַלְבָּן* *Cheleb* autem, quod hic loci occur-

currat, semper *adipem* denotat. Accedit quod & gentium quidem Idolis saepe *lac*, nunquam autem, vero Deo, sed huic contra *adipem* semper, sive una cum carne, sive etiam solum cum renibus, oblatum fuisse legamus, imo omnia quoque, quae ex sacrificiis sub Lege in altari immolabantur, **אֲדִיפָה** *adipes* dicta sunt, ut fusiūs docuimus in *Differ-*
tat. de Ablegminibus Sacrificiorum §. II. Adde, quod & numerus multitudinis, qui in voce **אֲדִיפָה** *adipes*, locum habet, ad significationem lactis, non magis, quam ad Græc. *γάλακτος* aut Latin. *lactis*, vel German. *Milch* aut Belg. *Melck* quadret, nec voces haec in plurali numero, in his, imo forsan omnibus totius orbis linguis, unquam adhibeantur. Ut adeo mirum non sit, quod OUTRAMUS de *Sacrific.* Lib. I. c. I. §. 3. jam de illa eruditissimi *Grotii* sententiā pronunciaverit: *cujus tamen sententiae haud scio an quenquam adjutorem habeat.* Abelem dein sine dubio plures sequi sunt, ex quibus in primis memorantur in sacrificiis *Noachus* Gen. VIII, 20. *Abrahamus*, Gen. XXII, 2, 23. *Jobus* I, 5. ejusque amici. *Job. XLII, 8.* quemadmodum & *Moses* in *Ægypto* & ipse *Pharao* jam ea de re, ut notata & usitatā loquuntur, *Exod. III, 18.* V, 3, 8 & *VIII, 8, 25.*

§. III.

Quæri autem hac occasione solet, an omnia haec sacrificia, ut dein sub lege, diversi, an vero unius & cuius generis fuerint, utrum nempe tota Deo tantum combusta fuerint, an vero quædam partes cesserint offerentibus, ad sacras epulas inde adornandas, quale quid sub lege in nonnullis sacrificiis *pro peccato חטאות* & *pro reatu מְשֻׁמָּת*, maximè vero in *eucharisticis שְׁלָמִים* locum habebat. Agitata jam fuit haec controversia inter *R. Lazarum* & *R. Josen*, *F. Chaninæ*, in *Gem. Hieros. Megilla* f. 72. 1. & in *Schir Hasschirim Rabba* f. 29. 4. quorum ille Abelem & alios Noachidas ante Mosen vult obtulisse, **שְׁלָמִים** pacifica, hic tantum *עלות holocausta* ut monuit jam *Celeb. RELANDUS*

A 3

Antiqu.

Antiqq. P. III. Cap II. §. IV. Cum posteriori Iudei vulgo omnes faciunt, omniāque hæc sacrificia holocausta, seu tota Deo combusta fuisse contendunt: per Noachidas autem intelligunt non solum Noachi posteros, sed & illos qui ante Noachum inde ab initio vixerunt, seu universum genus humanum, Iudeorum gente excepta, ut docet SELDEN. de Jure Nat. & Gent. Lib. I. cap. VIII. IX. & X. Ita de illis pronunciatur in Zevachim f. 115. b. וְהִכְלָרְכְבּוּ שְׁלָוחָת וְoּמְנִיאָה (sacrificia) obtulerunt HOLOCAUSTA, seu ut disertius explicatur in Glossa non enim obtulerunt nisi holocausta. Christianorum non pauci eandem sententiam sequuntur, nonnulli tamen contra existimant, jam inde ab initio moris fuisse, ut quasdam partes ipsi offerentes reciperen, ad epulas inde instruendas, quod multis defendere conatur HEIDEGGER. in Hist. Patriar. P. I. Exerc. XV. Nos mediâ hic viâ tutissimè incidi credimus. Ante diluvium certè nulla alia quam holocausta oblatâ fuisse, nobis quidem indubium est, qui negare non possumus, nos in ea esse hæresi, ut carnium esum, tum non solum inusitatum sed & illicitum fuisse statuimus, idque ob sequentes rationes:

1. Quia, ut nemo cum ratione negare poterit, nullum utique homini in res à Deo creatas, jus fuit, nisi ex confessione Creatoris & Supremi Domini tam ipsius hominis quam omnium reliquarum rerum, multoque adeò minus illi licere potuit, illas destruere, & vitâ, quam non minus ac ipse homo à Deo acceperant, privare, ut iis vesceretur, nisi ex ejusdem arbitrio atque concessione. Licet autem Deus dominum in res creatas homini indulserit, tantum tamen abest, ut & animalia, eum in finem necanda, in cibum concederit, ut potius

2. Sigillatim ei cibum suum adsignans, hunc in finem non nisi herbas agri illi dederit, disertè dicens Gen. I. 29. Ecce dedi vobis omnem herbam viridem, seminantem semen, quæ est super facie totius terræ, & omnem arborem, in qua est

est fructus arboris, seminante semen, vobis sit in cibum. Vides clarissimè nihil illi in cibum dari nisi solas herbas & fructus arborum! Quod enim nonnulli commate sequenti quoque animalia eum in finem subjungi censem, verbaque idcirco reddunt: Et præterea omne animal terræ, & omnem volucrem coeli, & omne repens super terrâ, in quo est anima viva, cum omni viridi herba in cibum, (scil. vobis dedi,) id adeo ineptum est, ut vix refutationem mereatur. Praeterquam enim, quod particula **ל** sit nota dativi casus, neque unquam aliter cum verbo *dandi* נָתַן usurpetur, etiam tota oratio in fine hiulca forer, nec plenum sensum funderet. Contra autem is plenus est, omniaque limpidissimè fluunt, si, ut regulæ grammaticæ flagitant, reddantur. *Ecce dedi vobis* - - - & omni animali terræ, & omni volucri coeli, & omni repenti super terrâ, in quo est anima viva, omnem viridem herbam in cibum.

3. Accedit quod Deus post diluvium deum eundem in finem homini quoque carnem animalium concederit, ut patet ex collatione Gen. IX, 3. **כִּלְ רַמְשׁ אֲשֶׁר הוּא נָתַן** *Omne repens (se movens) quod vivum est, vobis sit in cibum.* Quæ concessio planè supervacanea foret, si jam antea primo homini animalia in cibum quoque adsignata fuissent.

4. In primis id adhuc clarius elucescit, quoniam nova hæc concessio, illi quæ dudum ante in initio Adamo jam facta erat, comparatur, dum Deus statim subjungit: **כִּירַק עַשְׁבָּנָת לְכַסֵּת אֶת כָּל**: *dedi vobis (hæc) omnia.* Quem locum idcirco recte & eleganter ita **παραφεύζει** RASCHI: *Non enim permisi homini primus, nisi herbam viridem, vobis autem, quemadmodum Adamo primo concessi herbas, vobis (inquam) dedi omnia.*

5. Denique tum disertè additur interdictum de carne crudâ non comedendâ, com. seq. tantum carnem in sanguine suo non comedes, quod tamen si carnium eis jam antea licitus, antea quoque necessariò exstare jam debuisset, cum nemo

nemo, cui sanum sinciput est, ante diluvium carnis crudæ esum licitum fuisse, facilè dixerit.

6. Nec parum roboris huic sententiæ addit, universalis ferè Judæorum æquè ac gentium traditio, Judæorum hac de testimonia exhibent SELDEN. de *Jur. Nat. & Gent.* Lib. VII. Cap. I. & BREITHAUP. in not. versioni Comment. R. Salom. *Isaacid.* in Gen. locc. laudata subjunctis. Neque eorum hac in re consensum negare audet, contrarium sentiens HEIDEGG, in *Hist. Patriarch.* T. I. Exercit. XV, 111. frustra addens, ceterum, utrum sententia hæc sit omnium Hebræorum communibus suffragijs munita & conclusa, non omnino liquet. Tamdiu enim id meritò supponitur, quādiu nemo, qui à tribulibus suis diversum sentiat, ostenditur. Ad gentes quod spectat, etiam hæc inter prærogativas aureæ ætatis numerant, quod mortales frugibus agri & arborum foetibus contenti, carnium esu abstinuerint, unde nota sunt illa OVIDII Met. Lib. I. v. 103. seqq.

*Contentique cibis, nullo cogente, creatis
Arbuteos foetus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris barentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patulæ Jovis arbore glandes.*

& Lib. XV, 96.

*At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen,
Foetibus arboreis, &, quas humus educat, herbis
Fortunata fuit: nec polluit ora cruore.
Tunc & aves tutæ movere per æra pennas;
Et lepus impavidus mediis errabat in agris:
Nec sua credulitas pescem suspenderat hamo:
Cuncta sine insidiis, nullamque timentia fraudem,
Plenâque pacis erant.*

Imò VIRGILIUS Georg. Lib. II. v. 536. seqq. exclamare non veretur:

*Ante etiam sceptrum Dictæ regis, & ante
Impia quam cæsis gens est epulata juvencis,
Aureus hæc vitam in terris Saturnus agebat;*

Deni-

Denique inter Christianos **CHYSOSTOMUS**, **THEODORETUS** aliique non pauci Patrum, quin & sequentium Ecclesiæ Doctorum & Eruditorum Virorum benè multi, in eadem hæresi fuerant, conf. *Illustris GROTIUS, de Jur. Bell. & Pac. Lib. II. cap. XX. §. 9.* & ad Gen. loca add. Ut adeo verè mirum sit, multos tot evidentissimis rationibus totius fere antiquitatis consensu, qui ceteroquin multis tantum momenti non immerito esse solet, munitis, contradicere non dubitare.

Alia argumenta, quod in primis pertinet illud, quod de longævitate hominum antediluvianorum petitur, non addo, quoniam omni exceptione non carent. Illud autem adhuc magis mirum est, quod contrariae sententiae assertiōnem, tam exigui ponderis argumentis superstruant. **Præcipuum** est, quod à dominio homini in animalia concessum petitur. Verum notio dominij nihil minus involvit, quam potestatem devorandi, quia ceteroquin nullum in homines dominium locum haberet. **Præterea** quot sunt animalia, quæ nunquam in cibum adhibentur aut adhiberi quoque possunt, licet dominium se ad illa quoque extendat? In primis augem si dominium jam potestatem rebus in cibum utendi involveret, frustra sane Deus peculiarem adsignationem cibi subjunxisset, cum illa sub ante jam concessum dominio comprehensa fuisset. Tandem quid minus probabile esse potest, quam hominem saltem in perfectiori corporis conditione, quæ in statu integritatis locum habebat, jam crassiori illo carnium cibo nutritri debuisse? cum tamen dominium illud jam tum homini recto, & ad imaginem Dei condito, concessum fuerit. Ad argumentum *ex discrimine animalium mundorum & immundorum* petitum, infra respondemus. Hæc igitur si ritè à nobis disputata sint, ultrò sequitur, carnem omnem illo tempore Deo oblatam, atque adeò sacrificia omnia obnoxia fuisse.

§. IV.

Post diluvium autem, ubi carnium **esus** concessus,
B fieri

10

fieri facile potuit, ut quædam partes earum in cibum ad-
hicerentur, sed non satis certò tamen id constat, quem-
admodum & eandem ob causam de diversis sacrificiorum
illo tempore generibus, non satis tutò judicium ferre licet.
Si ex fine, qui in oblationibus intendebatur, quis denomina-
tionem petere velit, certum est, quædam ad grates Deo
testandas, alia ad favorem ejus conciliandum, alia ad eundem
placandum esse oblata, imo etiam id nonnunquam factum
esse, quando de peccato non satis constabat, sed metuebatur
tantum, ne Deus forte læsus esset. Ita de Jobo legimus,
eum post convivia natalitia à liberis celebrata, secundum
singulorum numerum obtulisse sacrificia, dum dixerit,
fortè peccarunt filii mei & valedixerunt Deo in corde suo.
Job. I. 5. quæ idcirco *Celeb.* REIMARUS in not. ad
Clay. HOFMANNI comment. in h. l. ut & *Dissertat.*
laudatae §. XIX. existimat convenire cum sacrificiis pro de-
lieto dubio sub lege oblati. Verum quemadmodum, ut
dixi, si intentionem offerentis species, rectè cum illis com-
parari possunt, ita si ad offerendi modum attendas, qui
in diversis denominationibus sub lege præcipue in censem
veniebat, fuere tamen etiam holocausta, ut disserè dicitur
sub initium ejusdem commatis: **זְהֻלָּה עֲרוֹת מִסְבֵּר כָּלָם**
& obtulit holocausta pro numero omnium eorum, neque
adeò quod ad oblationis modum attinet, cum sacrificiis pro
reatu aut delicto dubio in tantum conveniebant. Æquè in-
certa res est de sacrificiis eucharisticis, vulgo pacificis hebr.
שְׁלָמִים dictis, & an ex illis offerentes partem aliquam, ad
sacra convivia inde instruenda, acceperint. Referunt qui-
dem nonnulli eò quod de Jacobo narratur Gen. XXXI. 54.
cum foedus erexisset cum Labane: **וַיַּבְחַנֵּק יַעֲקֹב וּבָח בָּהּ**
quod qui-
ita sentiunt, reddunt: & obtulit Jacobus sacrificium in mon-
te, & invitavit fratres suos ad comedendum panem, & come-
derunt, & pernoctarunt in monte. Verum, uti fatemur id
locum habere potuisse, ita tamen satis certò demonstrari
nequit.

aequit. Licet enim vocabula זבָב & זבָבָה saepe de *oblatione sacrificiorum* usurpentur, haud raro tamen quoque de *maestatione animalium* in cibum, ad laetiora in primis convivia, adhiberi indubium est, vid. Deut. XII. 21. Ezech. XVI. 20. Prov. XVII. 1. Jes. XXXIV. 6. & Jer. XLVI, v. 10. Deinde licet fœdera convivijs antiquitatem firmarentur, non tamen id semper præcedentibus sacrificiis siebat, neque convivia illa perpetuo ex reliquiis sacrificiorum adornabantur, vid. Num. XXVI. 30. & ipso hoc capite XXXI. 46. Interim tamen negare minimè volumus, post diluvium, quocunque etiam id tempore coeperit, morem jam obtinuisse, ut quædam sacrificiorum partes, ad convivia festiva inde adornanda, sumarentur, indeque forsitan appellations sacrificiorum distinctorum ab holocaustis originem accepisse, ita de Jethrone Mosis socero legitur Exod. XVIII. 12. 13. quod acceperit שולח חבחים לאלהי holocaustum & sacrificia Deo (non ut Lutheri versio vult, quod sumserit holocaustum, & obtulerit Domino) sieque venerint Abaron & omnes seniores Iraelis ad comedendum panem cum Jethrone Mosis socero, coram Deo. De Filiabus Moabitarum, disertè quoque legitur, eas invitasse Iraelitas ad sacrificia Deorum suorum; populumque comedisse & earum Deos adorasse Num. XXV. 2. Quale quid ne Iraelitis in offendiculum cederet, Deus disertè monuit Exod. XXXIV. 15. Ne ferias foedus cum incolis terræ hujus, & scortentur post Deos suos, & sacrificent diis suis, & invitente, comedasque de sacrificiis ipsorum. Ut autem gentes hæ id sine dubio à majoribus suis didicerant, probabile admodum est, & in familiâ sanctâ quondam jam non inusitatum fuisse. In primis cum & ante latam Legem Mosis, & præcipue introductum illud diuersi generis sacrificiorum chogram, jam Moses quoque aliorum sacrificiorum præter holocausta meminerit, flagitans à Pharaone, ut sibi pecudes subministret ad sacrificia & holocausta Deo offerenda Exod. X. 25. & Exod. XXIV. 5. disertè præter holocausta jam sacrificia שלמים Salutaria aut Pacifica, ut vulgo appellari solent, memorentur. B. §. V.

Uti Sacrificia jam ante Legem in usu fuerunt, ita & non defuerunt qui ea offerrent, sacerdotumque mutare defungentur. Num autem id à certis ad id electis, hominibus pro aliis, an à singulis pro semet ipsis factum sit, iterum disputatur. Ubi lubens cum *Clariss. BUD DEO Hist. Eccles. T. I. pag. 391.* prætereo, quorundam Anglorum hypothesis, qui ad hierarchiam ecclesiasticam stabilendam, certum jam sacerdotum ordinem ante Legem Moysis statuunt, cùm illa absque omni scripturæ s. & universæ antiquitatis, præsidio conficta sit, nulloque adeò fundamento nitatur. Judæorum plerique hoc inter prærogativas primogenituræ numerant vid. *ONKELOS* ad. Gen. XLIX. 3. & Exod. XXIV. 5. *Rabboth* f. 263. 2. & quos præterea laudat *SELDEN. de success. in B. D. cap. V.* & in *Pontif. Lib. I. c. I.* *Judeorum* hanc sententiam dudum secutus est *HIERONYMUS Trad. in Gen. ut & summus BOCHART. Hieroz. P. I. Lib. II. cap. L.* aliique Christianorum bene multi. In omnia tamen alia abeunt, & primogenitis id planè abjudicant *S. Vener. Episcop. PATRICK* ad locc. Genes. & Exod. laudata, *SPENCER. Libr. I. cap. VI.* *OUTRAM de Sacrif. Lib. I. cap. IV.* & *VITRING. Observat. Sacrar. Lib. II. cap. II.* Ad nos quodattinet, neutrum absolutè diei posse, mediaque adeò viâ incedendum esse putamus. Ab una enim parte jus hoc primogenitis privum non fuisse, pater, ut recte observat *SELDEN. de Synedr. Lib. I. cap. XVI.* quia planè reclamat tam *Abelis secundo geniti, quam Caini primogeniti sacrificium.* Uterque pariter sacerdos erat. Etiam Moses ipse, qui *Anrano* erat secundo genitus, & *Abarone* fratre triennio minor, sacerdos ab omnibus agnoscitur; tum quoque plura exempla suppetunt, quod Patres & Capita Familiarum non pro se tantum, sed & pro liberis ea obtulerunt. Sic *Noachus* ex omnis generis animalibus mundis Deo offerebat holocausta, quod eum non pro se tantum, sed & domo suâ in morto humano genere à se nunc descensuro fecisse,

10

fe, patet, quia Deus odorans odorem horum sacrificiorum, statim promissionem de non perdendo amplius humano genere, & animalibus, solemniter pronunciavit Gen. VIII. 20. 21. Idem ABRAHAMUS fecit, hæc dum loco filii sui immolans ib. cap. XX. 13. in primis JOBUS, metuens ne liberi sui in corde suo Domino valedixerint, pro illis & quidem pro numero ipsorum (ut visum) holocausta obtulit Job. I. 5. Ab altera tamen parte, unamine illud testimonium Judæorum in re domesticā, non temere quoque repudiandum videtur. Unde maximè probabile, privata quidem sacrificia à singulis offerri potuisse, ut ex exemplis Caini, Abelis, Jacobi & aliorum patet: quod enim nonnulli existimant, priores ea adduxisse ad Adamum, posteriorem ad Isaacum, absque ullo fundamento præter scripturam fingi-
tur. In solemnioribus autem & ad totam domum aut gen-
tem spectantibus, has partes propriè fuisse Patrum, seu Capitum Familiarum aut gentis. Atque hinc sine dubio
mos manavit ut antiquissimis temporibus Principes simul
sacerdotio fungerentur, ut ex Sacris in MELCHISEDECO
patet, & apud profanos quoque multis testimonii constat,
ut apud VIRGIL. *Aeneid.* Lib. III. v. 80.

Rex Anius rex idem hominum Phœbique Sacerdos,
ad quem locum vid. plura apud Servium, Taubman. &
Emmeness. Illis autem decedentibus, aut absentiibus, vel
ætate, aut quocunque alio modo impeditis, aut ob majo-
rem etiam sacrificiorum multitudinem huic negotio non
sufficientibus, partes hæc sine dubio potissimum devolutæ
fuerunt in primogenitos, qui dignitate in Familiis Patribus
proximi erant, illisque in aliis etiam prærogativis succede-
bant. Quamvis tamen id non impediret, quo minus in
quibusdam ~~negotiorum~~, etiam ad hoc negotium quidam æta-
te, labore aut aliis prærogativis gaudentes legi potuerint.
Atque hoc sensu sive de quibusdam ad id lectis, si-
ve etiam in primis de primogenitis, ut Judæi vulgo sta-
tuunt, intelligi possunt sacerdotes, & juvenes filio-
rum Israëlis, qui offerebant holocausta & sacrificia pacifica

B 3

ante

ante institutum sacerdotium Aharonicum Exod. XIX. 22, & XXIV. 5. conf. SELDEN. loc. adducto JURIEU in *hiſtoire de Dogmes & de Cult.* P. I. cap. IX. BUDD. *Hist. Eccles.* T. I. p. 389, seqq. DEYLING. P. II. Obs. IV. Quod autem nonnulli eodem referunt, primogenitos Deo sacros, quorum loco Deus dein assumit Levitas Num. III. frustra iterum afferitur: non solum quia illi primogeniti demum inde ab exitu ex Ægypto Deo sunt consecrati, & Levitæ quoque nullum jus sacerdotii acceperunt, sed tantum Sacerdotibus ministri dati sunt, ut recte observarunt S. R. PATRICK ad hunc loc. & LUND. *Antiq. Judd.* Lib. IV. Cap. I. sed & quod hic minimè negligendum, quia hi erant primogeniti matrum, qui nullam ante egressum ex Ægypto prærogativam habebant, cùm illud, quod adstruximus jus primogenituræ in sacerdotio, cum aliis prærogativis, tantum Primogenitis Patrum competenter, quâ de re infra propius agetur.

§. V.

Cum iisdem sacrificiis quoque jam mature aræ seu altaria introducta fuerunt. Statim post diluvium Noachus dicitur *altare exstruxisse*, inque eo immolasse holocausta. Gen. VIII. 28. *Abrahamus* dein dicitur ad locum *Sichem* ad quercetum *More*, Deo qui sibi apparuerat, *altare erexit* Gen. XII. 7. Idem additur mox com. 8. fecisse ad occidentem *Bethelis* & *Ai* & mox iterum ad quercetum *Mamre* XIII. 18. ut & in colle *Moriah* Gen. XXII. 9. *Isaacus* idem fecit in *Berseba* XXVI. 25. Ut & *Jacobus Sichemis* XXXIII. 20. & *Bethelis* XXXV. 1, 3, 7. Ut adeò mirum non sit, quod *Moses* idem jam ante latam legem fecerit. Exod. XVII. 15. Deusque adeò quando rationem erigendi altaris ei præscribit, de eo, ut re notâ loquatur XX. 24. seqq. Ex quâ materia id parari solitum, disertè non traditur, nec ex ipsa voce id colligi potest, quoniam vox כָּבֵד vi originis à כָּבֵד mactavit, immolavit, cum præformante litterâ ser-

vili,

vili **—**, generatim locum denotat in quo animal maectatur aut immolatur. Neque improbabile est, rudiori & simpliciori aetate homines forte terreo usus esse, interim tamen phrasis **בְּנֵה מִזְבֵּחַ** *struere altare*, quae locis adductis plerumque occurrit, videtur non improbabile reddere, ea jam tum quoque, ex lapidibus saepe majori operâ fabricata fuisse. Præcipue, cum Deus ipse videatur, hac ratione adornationem altaris lapidei, à præparatione altaris terret, quod **עֲשֵׂה מִזְבֵּחַ** *facere altare* dicitur, distinguere. Exod. XX, 24, 25. — **אֶת** *Altare terretum facies mibi* **וְאֶת** **מִזְבֵּחַ אֲבָנִים** *הַעֲשֵׂה לְךָ תְּכַלֵּת אֶת* **נְוֹתָן** *וְsi altare lapidum mibi facere velis, non ædificabis* (strues) *illos politos.* Quod clarius explicatur, Deut. XXVII, 5. 6. **וּבְנֵה שֶׁבֶת מִזְבֵּחַ לְיהוָה אֱלֹהֵינוּ** **מִזְבֵּחַ אֲבָנִים** *לֹא תְנַצֵּחַ עַל־וּחָתָן בָּרוּךְ*: **אֲבָנִים שְׁלֹתֹת** *תְּבִנָה אֶת מִזְבֵּחַ אֱלֹהֵינוּ:* Et **ædificabis** (strues) *iHic altare Jebovæ Deo tuo: altare lapideum: non agitabis super illo ferrum.* *Lapides integros* (Ex lapidibus integris) **ædificaris** altare Jebovæ Dei tui. conf. Jos. VIII, 31.

Locorum quoque oblationis sacrificiorum obscurior è aetate est notitia. *Montes & colles* ad id electos saepe esse; vero non est absimile. Apud gentes sanè in illis sacrificatum esse, plus semel legimus. v. Num. XXII, 4 & XXIII, 1, seqq. & Deus, dum Israëlitis interdicit mores gentium hac in re imitari, imò excelsa destruere jubet, de hoc more, ut inter eas passim usitato loquitur v. Deut. XXXIII, 29. Quin & Iudei passim inculcant ante exstructum tabernaculum in excelsis immolare licitum fecisse, ut in *Zevachim* cap. XIV, m. 4. **עַד שֶׁלֶא הַקְרֵב** *הַמְשִׁנָּה* **מוֹתְרוֹת הַכְּמֹות** *Quamdiu* *tabernaculum erectum non esset, excelsa erant licita.* Et sanè cum locus nihil in se ad cultum Deo gratum conferat, quin & Deus nonnunquam sequentibus adhuc temporibus in certis ~~מִזְבֵּחַ~~ id permiserit, imò jusserit v. 1 Sam. VII, 7, 9. IX, 12. X, 8. XI, 15. Jud. VI, 26. 1 Sam. XVI, 2. &



& 1 Chron. XXII, 18. confer. Zevachim loco adducto m.
 5. & 7. plus quam probabile videtur, Deum hanc rem
 libertati fidelium reliquisse, hosque pro lubitu quoque
 opportuno in loco, siue in monte aut colle, planicie aut
 valle rem sacram fecisse. Nullius enim peculiaris loci ad
 id determinati ulla mentio occurrit. Nam quod Abraham
 ad montem Moriah eum in finem Deo ipso jubente
 profectus est, Gen. XXII, peculiarem hanc rationem ha-
 buisse videtur, quod Deus jam tum in antecessum ostend-
 dere voluerit, hunc collem aliquando inter Israëlitas so-
 lemni cultui in templo dicandum esse. Ceterum licet nulla
 tum temporis stata loca fuerint, id tamen non prætermi-
 tendum est, illa, ubi semel altaria erecta, saepe in poste-
 rum quoque sacrificiis inserviisse, quin & alia cultus pu-
 blici exercitia ibidem observata fuisse. Ita disertè legitur,
 Gen. XIII, 3. 4. *Et perrexit (Abrahamus) in itineribus*
suis, ab austro usque ad Betbel, ad locum, ubi antea erat
tentorium ejus inter Bethel, & Ai, ad locum altaris,
quem in initio illic fecit, & prædicavit illic Abrahamus
nomen Jehovæ coll. XII, 8. Conf. XXVI, 25. & XLVI,
 1. Atque hoc sensu quoque Jacobus vovebat in iti-
 nere Mesopotamiam versus, ib. XXVIII, 29. *Si Deus*
mecum erit - - - Jehova mibi in Deum erit, Et hic
lapis, quem posui columnam, erit domus Dei. Quod deinceps
executus est, cum eodem profectus cum universa domo
sua, illic altare erexit, unde & locum BETHEL quasi do-
mum Dei dicas, appellavit, XXXV, 1. 3. 7. 15. 16. Neque
enim vox haec propriæ ædem sacram aut templum, deno-
tare potest, cum nullo indicio constet, ante tempora Mo-
sis ullam talem ædem, aut templum fuisse, nec ex voce hac
*id elici potest, cum ea nihil aliud ex certo vocis **domus***
usu denotet, quam locum ubi Deus se singulari ratione
manifestaverat, & colebatur, quemadmodum & hunc lo-
cum ex hoc Jacobi facto, diu post adhuc in honore, saepius-
que rebus ita ferentibus, ad cultum sacram publicum adhi-
bitum, & senioribus tandem temporibus in templum ido-
lola-

Iolatricum conversum fuisse in *Dissertat. Theolog. Philolog.*
Dissert. III. monuimus.

§. VI.

Sacrificia proximè meritò excipiunt *ferta atque libamina*. Horum priora sacrificiis vel *coœva*, vel non multum posteriora fuisse, ex exemplo Cainis patet, qui cùm Abel sacrificium offerret, ipse מִפְרִי הָאָדָם מִנְחָה *fertum ex proventu terræ* adduxisse dicitur. Gen. IV. 3. 4. Vox מִנְחָה *Mincha*, quam nonnulli minus rectè derivant à *Nacha* duxit, ut □ initiale sit servile, cùm potius descendat à Rad. deperdità סְנָאָת *Manach*, *donavit*, quæ apud Arabes in hunc diem supereft مَنْعَنْ ut vel ex solo numero multitudinis patet, qui si prior littera servilis esset, formari deberet טִנְחֹות *minchot*, ut à סְצִוָּה *mitzva*, *præceptum*, sit מצוֹת *mitzvot*, cùm contra pluralis sit מִנְחֹות *Menachot*, quemadmodum eum formant nomina hujus formæ, quorum prima est radicalis, ut שְׁבִרְחָה *Schibrach*, ancilla, שְׁבָחֹות *Schefachot*, רְמַעַת *Rim'at* lacryma, רְמַעֲוֹת *Rim'ot*, propriè denotat *donum*, unde & Jes. LXVI. 20. à *Græcis*, & *Paulo* Heb. V. 1. & VIII. 3. 4. redditur δῶρον. Usurpatur autem de *oblationibus incruentis*, in primis frugum distinctè ab *oblationibus cruentis*, quo sensu & disertè loco adducto occurrit. Cujus verò generis hæ fruges fuerint, & an crudaæ an elaboratae sint adductæ, tum quoque quâ ratione oblatæ sint, non constat. Illud autem non temere prætereundum est, quod præter hoc exemplum, nullius alterius ferti, ab aliquo ante legem Moysis oblati, certum vestigium exstet. Ita quoque LIBAMINIS *vini* aut *aqueæ*, aliqua, sed non satis clara, mentio invenitur. Quod enim Pontificii panem & vinum in historiâ Melchisedeci, Gen. XIV. 18. de oblatione Deo factâ accipiunt, invitâ Minervâ eo torquetur, cùm nullum ejus rei indicium exstet, imò Melchisedecus ne quidem ea obtulisse, sed foras extulisse dicatur, ad Abrahamum nempe redeuntum ex

C

præ-

24.

23.

22. 6

2 27

19.

16.

15.

14.

13.



prælio cum suis reficiendum, quod post JOSEPHUM recte monuerunt TERTULLIANUS & EUSEBIUS, ut jam obser-
vavit S. R. Patrick ad h. 1. Generatim tamen aliquod libaminis vestigium deprehendimus in historiâ Jacobi Gen. cap. XXXV. ubi com. 14. dicitur, postquam cippum erexerat. וַיַּכְרֵד עַל־זֶה וְנִכְרֵב libavit super illo libamen. Ceterum quale illud fu-
erit, non constat, unde & ABENESRA hac de re du-
bius ait: מים או יין aquam aut vinum, quoniam ex utraque materia libamina quondam oblata Judæi sciscunt. Quod au-
tem addit, וְהַתְּעַמֵּד שָׁרוֹחַ וְratio est, quod abluit
eum; & dein illi infudit oleum, id minus conveniens existi-
mem, quoniam nunquam locutio נסך נִכְרֵב de simplici ab-
lutione, sed semper potius de oblatione libaminis in sacrificiis adhiberi solet v. 2. Reg. XVI. 13. Jer. VII. 14. XIX. 13.
XXXII. 29. Unde proprius scopum feruisse putem Patri-
cium & Polum, scribentes, eum obtulisse libamen ex vino,
ut colligi queat ex Exod. XXIX. 40. & Num. XXVII. 14.
hacque eum fecisse, ut cippum hunc Deo solemniter consecraret.

§. VII.

Succedant his vota, quibus pii se ad certa officia Deo obligabant. Horum luculentum exemplum iterum habe-
mus in Jacobo, in viâ Mesopotamiam versus, exclamante Gen. XXVIII. 20. Si Deus mecum erit, & me custodiet in
viâ hac quam ego ambulo, & dabit mihi panem ad comedendū & vestimenta ad induendum, & revertar in pœce ad domum patris mei, Iebova erit mihi in Dœum. Et lapis hic,
quem posui columnam, erit domus Dei, * * * * * Votum hoc vulgo appellari solet Evangelicum, nec immerito, quia pleraque eo comprehensâ ad cultum rationalem spectant. Interim tamen aliquid admixtum habet, ex libero beneplacito profuens, ut quod ille in primis locus in locum solemnioris cultus destinandus, quemadmodum & id quod decimam in primis bonorum partem Deo consecraret, licet hæc res tamen naturali æquitate, ut Sect. II. videbimus, niteretur.

Nihil

Nihil hīc figillatim de voto Naziræatūs addo, cuius vestigia nonnulli sibi jam in Josepho deprehendere visi sunt, quando is Gen. XLIX. 26. & Deut. XXXIII. 16. appellatur נִזְרְאֵעַς (ut ipsi quidem reddunt) *fratrum suorum*, vel *inter fratres suos*. Verūm cūm in totā ejus historiā nihil occurrat cum Naziræatūs voto conveniens, ignoscent, qui ita sentiunt, quōd illis calculum adjicere nequeamus. Certē ex nuda hac appellatione id minimē satis colligi potest, cūm verbum נִזְרְאֵעַς cum derivatis significationem separandi habeat, unde R. S. J. ad Hof. IX. 10. scribit; **נִזְרְאֵעַס אֵיזֶנְזֶר בְּכָל טְקִים אֶלְהָה הַפְּרִישָׁתָה** omnibus in locis non habet, nisi significationem separandi. Ut autem separatio diverso fine & modo fieri potest, ita & diversa appellationis hujus potest esse ratio. Sive separatus à fratribus dicatur, quia ab illis, est separatus cūm venderetur, ut vult. R. S. J. sive hoc titulo, ut reliquorum numero & ordine exemptus, selectus & princeps insigniatur, ut potissimum placet Viro Celeb. mihiique amicissimo H. VENEMA, in *Dissert. Select. ad Sacr. Scriptur. Tom. I. Part. I. p. 584.* sive adhuc aliam ob causam, quod hic loci non inquirimus, cūm nobis satis sit monere, solam hanc appellationem minimē sufficere ad voti Naziræatūs usum ante Mosis legem afferendum.

§. VIII.

Nos igitur potius hujus loci, occasione observamus, quōd & DECIMAS Deo dare, jam ante Legem in usu fuerit. Hoc enim porrō disertè idem votum complebitur בְּכָל אֲשֶׁר תַּחַן לִי עַשְׂרֵה אַעֲשֵׂר לְךָ quicquid dabis mihi, decimando decimabo tibi. Duplex hīc moveri potest quæstio: Primā quidem quomodo hæc persolutio decimarum intellegenda, an rerum ipsarum, an verò reddituum quoque ex illis porrō percipiendorum? Deinde quid sibi hæc decimalio Domino facienda velit, & in quo propriè constiterit? Ad prius quod attinet, cūm Jacobus voveret se id factu-



rum, ubi salvus in domum Patris redierit, non dubitarem, cum hoc ipso statim reducem, ex omnibus bonis, à Deo sibi concessis, decimam partem separavisse. Unde & ABEN ESRA loco laudato exaltimat eum *Bethelis votum solvisse & decima, de bonis suis dedisse*, quod vero quoque tanto similius est, quod magis ipse Deus eum voti sui plus semel admonuit, & ipsum eò (sine dubio ad ejus solutionem) proficiisci jussit. v. Gen. XXXI. 13. & XXXV. 1. Cùm autem loquatur, de omni quod Deus sibi daturus esset, & quicquid deinde quoque in Canaane acquireret, Dei quoque munus esset, vix ambigerem, eum hoc pietatis exercitium & in posterum continuasse, & decimam redditum partem annuatim eidem fini impendisse. Idque tanto magis, quod magis talia pietatis officia, non ad unum tempus debent esse restricta, & ipse hoc cum aliis, perpetuò sine dubio duraturis, conjunxit, ut quod Jehova sibi futurus in Deum, & lapis ille in locum publici conventus & cultus, quamdiu ipse nempe in hujus loci viciniā degeret. Ad alterum quod spectat, sine dubio decimatio hæc Deo facienda, in eo sita fuit, ut decimam illam partem cultui & gloriæ Dei, & secundum ejus voluntatem piè impenderet. Quod facilè patet fieri potuisse, partim Deum sacrificiis piè colendo, partim sumptus ad promovendum cultum publicum, quounque etiam modo id fieri posset, suggerendo, partim erga pauperiores officia charitatis observando, & jura hospitalitatis, pro illorum temporum ratione, exercendo, conf. Gen. XVIII. 2. seqq. Heb. XIII. 2. ut & Job. XXXI. 32. Breviter præcipua, his verbis iterum ABENESRA complectitur,

נתן מעשר מהוננו לכבודו השם למי שרווח ברור

ראיו לקרתו & dedit decimas de opibus suis ad honorem Dei, illi, qui eā aetate dignus erat, ut eas reciperet. Saltem id longè majori veritatis specie asseritur, quam quod SELDEN. & Episcopus MONTAGUĒ, monente PATRICO ad h.l. volunt decimas has Isaac ut sacerdoti solutas esse. Neque enim, ut supponunt, constat Isaacum potiori jure sacerdotio

tiō gravissimum esse, quām *Abrahamum* & *Jacobum*, neque ullum hujus rei indicium ullibi in sacris reperitur, neque ratio dari potest, cur, si id verē factum, historicus sacer, nullibi vel verbulo ejus meminerit. Conf. & PATRIC. ad h. 1. & quae nos supra §. V. monuimus. Non autem decimas tantū Deo illā aetate dari solitas, sed & ipsis hominibus ex exemplo Abrahāmi patet; qui *Melchisedec* decimas de omni prædā quam reportaverat, persolvit. Gen. XIV. 20. coll. Hebr. VII. 2. 4. 6.

§. IX.

Decimis addimus *primogenita*, de quibus res non minus manifesta est. Quae enim Abel obrulit sacrificia, disertè dicuntur fuisse *מִבְכּוֹתֶת צָנָן* de *primogenitis gregis ejus*. Gen. IV. 4. Utrum autem, ut de animalibus primogenita, ita de frugibus quoque *primitiva* aut *primitiæ* oblatæ fiant, non constat. Nihil enim amplius illic dicitur, quām quod *Cain*, ut agricola *מִנְחָה מִפְרָח הָאָרֶת* fertum de fructibus agri obtulerit. Imò cùm id præmittatur, & statim subjungatur, & Abel obrulit quoque de *primogenitis gregis sui*, inde potius colligendum videtur, oblationem Cainis eandem relationem ad alias fruges, quam illam Abeli ad alias pecudes non habuisse. Saltem ita rationes subducit ABENESRA, scribens: *ובעבור שכחוב מוכורוֹת* *מִבְכּוֹת צָנָן* *יש סטך כי לְאֵת קָזִין מִן הַכְּבוֹד* & quia scriptum est (de sacrificio Abeli) de *primogenitis gregis sui*, probabiliter inde colligitur, quod Cain non obtulerit de *primitiis*. Unde & nonnullos hac in re rationem quæsiuisse, cur oblatio hæc Cainis, Deo minus placuerit illā *Abeli*, infra videbimus.

§. X.

Ad ritus sacros referri quoque in primis merentur *Lustrationes*. Hæ sub Lege erant varii generis, ut *consecratio*, *C 3* *riæ*,

riæ, expiatoriæ & purificæ, sivebantque aquæ, sanguine, & oleo, ut in *Antiqq. Judd. P. I. Cap. XVIII.* monuimus. Harum quoque jam ante Legem clarissima vestigia deprehendimus. Huc pertinent in primis *βαπτισμοὶ ablutiones tam ipsius corporis quam vestimentorum.* Talem lustrationem exigebat Jacobus a domo sua, & omnibus qui cum ipso erant *Genes. XXXV, 2.* dicens *וְכִרְוָ אֶת־אֶלְוִי הַנְּכָר :* *אֲשֶׁר בְּתַחְכָּמָה וְהַתְּהִרְוָו וְהַחֲלִיפָו שְׁמַלְתִּיכָּת :* *Removez à vous Deos peregrinos & mundate Vos & mutate (innovate) vestimenta vestra.* ABENESRA id quidem cum nonnullis aliis de ablutione vestimentorum tantum explicat. Verum ut illa non excludenda penitus, & forsan sub innovatione vestium intelligitur, ita ipsa locutio sine dubio plus dicit, & totius corporis ablutionem involvit. In primis cum receptus Judæorum Canon sit, quod *ubicunque in sacris mentione fiat ablutionis carnis aut vestimentorum ab immundicie, semper ablutio totius corporis in receptaculo aliquo intelligatur*, ut pluribus docet SELDEN. *de Synedr. Lib. I. Cap. 3.* Add. MAIMON. in Hilch. Mikvaoth. *Cap. I. §. 2.* Ut autem Jacobus hac de re non ut nova loquitur, neque ullam ejus rationem aut modum præscribit, sed potius eam, ut jam notam, nudè & simplicitur exigit, ita non immixtò PATRICIUS & POLUS ad h. l. scribunt, *se non dubitare, quin hæ res sacre consuetudines fuerint, à piis eorum majoribus, inde ab initio ex quo Deo sacrificia oblata sunt, observatæ.* Conf. & eruditam Celeb. Rhenferdi *Orationem de ANTIQUIT. BAPTISMI.* Qui insuper non contemnendis rationibus evincere satagit, Protoplastos jam post auditum proteuangelium, eodem ritu, postquam sacrificia, unde pelles ad eorum vestimenta desumptæ, oblata erant, eadem semet ratione mundasse. Quin & idem Vir eruditus non minori probabilitate hinc non solum *baptismum Proselytorum, sed & solemnem illam lustrationem Israëlitarum ante legem latam ad montem Sinai, Exod. XIX, 10, 14.* deducit. Similem mundationem non solum ab aliis sed & in aliis *negis dicitur* quoque peractam fuisse, non improbable est:

est: in primis si & certa quædam alia immunditiae genera
 tum temporis jam pro talibus habita fuerint. Hac de re autem
 vix dubitare nos finit historia *Rachelis Gen. XXXI, 34, 35.*
 Cùm enim illa Patri Labani suos Teraphim suffirata esset,
 hicque eos summo studio quærens, in reliquis tentoriis
 omnia per vestigasset, Rahel illos sibi supposuit, cùmque
 is eadē intentione, ejus quoque tentorium subiisset, ipsa
 semet excusabat, quod *ob consuetum mulierum morbum coram ipso surgere non possit*, hincque is frustra discedere
 cogebatur. Nulla autem sufficiens ratio dari potest, cur sat-
 tem ipse subiratus, non ad eam quoque accessisset proprius
 eāmque & quibus insidebat, perscrutatus esset, nisi quod
 jam tum, ut dein sub Lege, mulier hoc incommodo labo-
 rans, non solum ipsa immunda esset, sed & omnia quæ
 tangebat, aut ab illa tangebantur, inquinare censeretur
 conf. Lev. XV, 19. seqq. atque adeò vel ipse ejus contactu
 se polluendum crederet, vel (ut alii volunt) præsup-
 poneret, non ausuram in hoc statu illos sibi supponere, ne
 inquinarentur: quod cum priori non pugnat. Unde vix
 dubitari potest, uti tales mulieres semet sub lege, lustrali-
 bus undis ablucere debebant, ira & si idem morbus jam olim
 pro inquinante immunditie habitus sit, aliquā etiam lustra-
 tione ad eas postliminiò mundandas opus fuisse. Et quis
 cum ratione ambigere potest, simile quid (quacunque etiam
 ratione id se habuerit) in mundatione illorum, qui homi-
 cido aut aliis sceleribus inquinati erant, aut innocentie
 testificatione obtinuisse? qui ad verba Jobi proprius atten-
 derit cap. IX, 30. *Si etiam me abluero aquis nivalibus, &*
mundaveromanus meas smegmate, aut, ut Celeb. SCHULTEN-
SIUS mavult, in ipsa puritate. Ad quem locum idem ait *No-*
tissimus ritus, lavandarum manuum in testificatione publica in-
nocentie. Et eruditus *Commentat. ANGLI: Allusio hæc est ad*
ritum priorum temporum, cùm homines occulti facinoris
suspecti aut accusati, manus suas, in signum innocentie ablue-
re solebant. v. Deut. XXI, 6, 7. Matth. XXVII, 24. Cùm
 autem hodiè, ob rationes evidentissimas, vix quisquam

am-

amplius dubitet, Jobum ante Mosen, Israëlitis in Ægypto morantibus, vixisse, satis tutò hinc colligitur, eandem ceremoniam quoque ante Legis tempora jam obtinuisse. Sub Lege ad lustrationes, in primis consecratorias oleum adhiberi solebat, vid. plur. Reverend. JACOBSENI, Collegæ nostri nunc honoratissimi Dissertatio, sub nostro quondam praefatio habita, de *Adspers. Hebr. Cap. II. §. 2. & Cap. IV. §. 27. seqq.* & hujus rei quædam primordia cernere licet in facto Jacobi, plus semel jam tacto. Hic enim non solum in via Mesopotamiam versus, in lapidem illum quem in Bethel erexerat, votum simul nuncupans, quod hic lapis futurus in domum Dei, *oleum effudit* Gen. XXVIII, 19. & 22. sed & cum redux in Patriam, votum hoc implere vellet, denuò lapidem erigens, effuso super illo libamine, eundem denuò *oleo perfudit*, locoque iterum solemne nomen **בֵּית־אֱלֹהִים** *domus Dei* imposuit. ib. XXXV, 14, 15. Lustrationum expiatoriarum sanguine factarum in historiâ populi, in Ægypto adhuc commorantis, vestigia quoque apprehendimus. Ipso enim Deo jubente populus debebat fasciculo hyssopi superliminaria domum sanguine agni Paschalis illinere, quo angelus percussor, in ædibus, hoc sanguine imbutis, primogenitos non percuteret. Exod. XII, 7. & 22. coll. Hebr. XI, 9. Deinde quoque ante institutum universum Legis ceremonialis choragium in solemni fœderis inter Deum & Israëlem ratificatione, Moses altare & librum Legis & universum populum *sanguine & aqua conspersit*. Exod. XXIV. coll. Heb. IX, 19, 20. Sed cum hæc tamen & ætate Mosis acta sint, & ad externam illam economiam Legis quoque pertineant, illis hîc loci non immoramus.

§. XI.

Contra autem potius observamus, quod cum publicus cultus à pluribus simul peragi nequeat, nisi fixo quodam tempore ad id convenienter, hinc ultrò nova orjatur quæstio, num & ante Legem certa quædam & festiva tempora, huic rei

rei constituta fuerint? Quæ generatim quidem haud difficulter admodum solvitur. Ut enim homines quotidiano labore occupati, non adeò meditationibus & aliis exercitiis sacris incumbere & incrementum in cognitione veritatis & studio pietatis quærere possunt, nisi certum quoddam tempus huic rei sigillatius impendant, ita in primis id à pluribus simul, absque eo si sit, fieri nequit, cùmque vix cogitari queat, quin Adamus jam studuerit, doctrinam gratiæ inter liberos & posteros, quām commodissimè fieri posset, propagare, probabile est, quòd *jam iude ab initio publici convenitus fuerint*, quin & familiæ Cainis atque Abelis, dum hi sacrificia offerrent, se ad cultum conjunxerint, ut monet S. R. PATRICK ad Gen. IV. 26. In primis verò idem adhuc magis necessarium fuit, ex quo ætate Ènosi, filii Sethi, solemnius exercitium publici cultus cœptum est. Ita enim rectissimè verba Gen. loc. add.

אָוּ הוֹתָלְ לְקֹרֵא בְּשֵׁם יְהוָה
tum initium sumit (coeptum est) & invocare, aut prædicare in nomine Dei, accipi existimo, quia non solum explicatio quorundam Judæorum, quos nonnulli Christianorum sequuntur, de coeptâ tum profanatione nominis Dei, violenta admodum est, nec eum phrasi hebræâ conciliari potest, sed & altera, quæ summo BOCHARTO aliisque placet, quòd tum coeptum sit pios nomine Dei appellare, scil. filios Dei, non satis genio phraseos responderet, quia nulla subiecta in hebræo indicantur, de quibus id adfirmetur, & minimum tum dici debuisse, אָוּ הוֹתָלְ לְהַקֹּרְאָה

vel אָוּתָם לְקֹרֵא בְּשֵׁם יְהוָה tunc cœptum est ut ipsi appellarentur, vel appellare eos nomine Jēhovæ, quamvis tamen & ne sic quidem in antecedentibus nomen esset, quorsum hoc pronomen referatur. At cùm phrasis קֹרֵא בְּשֵׁם saepius de solemnis invocatione aut prædicatione Nominis Dei in sacris usurpetur, ut Psalm. CXVI. 4. & 14 omnia sponte fluunt, si tum temporis, aliquid contigerit, quo cultus Numinis illustrior magisque conspicuus redditus sit. conf. Summus COCCEJUS ad h.l. & BUDD. Hist. Eccles.

D

T. I.

T. I. p. 160 Atque tum nihil obstat, quod sine dubio jam
 antea, aliquod publici cultus exercitium locum habuerit.
 Quæ cùm ita se habeant, tanto magis manifestum est,
 certa quoque tempora, huic rei destinata fuisse debere.
 Quænam autem tempora hic in censum potissimum ve-
 niant, proprius paulo inquirendum est. Ubi ultrò manu
 quasi ducimur ad quæstionem de Sabbato, utrum nempe il-
 lud inde à primis mundi incunabulis, & absoluto creatio-
 nis opere, jam locum habuerit, an verò demum in deserto
 institutum sit. Quæ quæstio majori certè animorum con-
 tentione agitata est, gravioraque dissidia peperit, quænam res
 merebatur, nec difficulter sententiæ conciliari possent, si ab
 omni parte, è quâ, par est, animi moderatione ageretur,
 & illa in primis quæ clara atque indubia sunt agnoscerentur,
 in obscurioribus & dubiis utraque pars alteram toleraret,
 & in primis nullis consequentiis, quæ non agnoscuntur,
 altera alteram gravaret. Sic utique indubium est, otium seu
 abstinentiam ab opere, & quidem certo hebdomadis die, ad
 essentiam cultus rationalis non facere, neque adeò in se Deo
 placere posse, sed tantum quando officiis cultus rationalis
 rectius exercendis inservit, aut ob peculiares rationes certo
 tempore à Deo exigitur. Deinde & id non minus liquer,
 posterius tantum locum habuisse in Sabbato, summo
 quondam rigore Judæis observando, atque de eo tantum litteram
 quarti præcepti agere. Hoc enim demum in monte
 Sinai, ministerio Mosis, populo huic, & qui in eo vive-
 bant, præscriptum, & quidem post educationem ex Ægypto,
 & ad illam oeconomiam & generationes Israëlis re-
 strictum est, neque ante illa tempora ullum ejus, sive instituti,
 sive celebrati, vestigium occurrit, neque ulterius quænam stan-
 te hac oeconomia & Judæorum republica obligavit, v. Exod.
 XX. 8. 9. seqq. XXXI. 16. 17. Neh. IX. 13. 14. Ezech. XX. 10.
 12. Col. II. 16. 17. Aliud autem est, an idem dies, ut septi-
 mus uniuscujusque hebdomadis, jam antea, inde ab initio
 distincte cognitus, & exercitia cultus sacri eo in primis quoque
 observari solita fuerint? Id sanè, si candidè quod res est
 loqui

loqui velimus, neque improbabile neque inconveniens videtur, idque i. quia brevior illa periodus septem dierum, quæ hebdomadis aut septimanæ nomine, hebr. שׁבּוּ ab ipso hoc dierum numero dicitur, & aliis majoribus periodis numerandis in multis inservit, quantum constat, inde à remotissimis temporibus locum habuit: *Ab omnibus orientis, verba sunt, Illustris SCALIGERI, ab ultimâ antiquitate, usitatum est, ut per septimanas dierum sua facerent computat, & PHILO Judeus Lib. de Opificio Mundi, hunc Cyclum, appellat παρόντας καὶ τοῦ κόσμου γενέσιον omnibus gentibus receptum & mundo coævum, ut jam observavit WITSIUS Ægypt. Lib. III. Cap. IX. conf. eundem Lib. I. c. VI. §. 7. Atque hujus quoque rei satis clara in sacris vestigia occurserunt v. Gen. XXIX. 27. 28. conf. VII. 4. 10. & VIII. 10. 12. At concipi non potest, quomodo hic cyclus observari potuerit, nisi peculiare quid fuerit, quod septimum diem à sequente primo distingueret, ut adeò ille elapsam hebdomadem finiret & sequens novam inciperet. Non enim sufficeret, dies successivè tantum numerare & septimo numerum claudere, nam præterquam quod nulla ratio commoda ostendi queat, cur primi mortales id fecissent, aut quando & quâ occasione id primum cœperint, vix concipi posset, quo pacto, præcipue rudiori illo mundi aëvo, tam exactè, per nudam numerationem dierum, septimanæ successivè & quidem ab omnibus supputatae fuissent, ut nunquam id turbaretur, cùm contra si tale quid admittatur, res manifesta sit, neque in ea unquam errari potuerit. Pone ex gr. plures homines, à commercio aliorum exclusos, ad tempus navi vehi, & nullum septimanæ diem præ reliquis distinctè transigere, quâm facile talibus evenire posset, ut labore aliisve curis, aut etiam attentionis & sollicitæ annotationis defectu, mox & numeri dierum & in primis distinctionis hebdomadum penitus obliviscerentur? at pone contra eosdem, sive, ut quondam Judæi ultimum, sive ut nunc Christiani faciunt, primum aliquâ ratione, præ aliis sacrum habere, certisque cultus exercitiis transigere, fieri non poterit, quin tam pa-*

D 2

corum

24

23

22. 6

2. 27

19

16

15.

14.

14.

13.



corum dierum cyclus semper fixus certusque maneat. Atque uti ex talibus & similibus rationibus recte concedit *Celerrimus Acutissimusque WYTTEBACHIUS* in *Tentam. Theolog. Dogmat.* §. 1365. Sch. 2. *Forsan dissidentes facilius concordaturos, ac distinctius se explicaturos, ut non omnibus ante Legem piis ex omni numero septenario, nullum unquam diem, præ reliquis aliquo cultus genere, observatum ac distinctum vellent,* ita eadem rationes mihi quidem videntur inde a creatione non solum valere, sed & ad nullum alium diem nos proprius quam ultimum hebdomadis ducere, quia, ut visum, necessariò in ultimo aut primo die aliquid singulare locum habere debuit, quo hi duo ad diversam hebdomadem determinandam, distinguerentur, at in primo nihil tale à mundo condito usque ad æram Christianam inventum est, de septimo autem saltem ad longum tempus ante eam, id indubio constat. Secus qui senserit, per eum lubens erudiri cuperem, quidnam ab initio, & quam ratione, quicquid illud sit, certam hebdomadum distinctionem fecisse existimet.

Accedit 2 quod & hoc supposito, quæ Moses de primo creationis Sabbato narrat, huic sententiæ maximè favent. Gen. II, 2. seqq. *Et absolvit Deus septimo die opus suum quod fecit, & quievit die septimo ab omni opere suo quod fecit.*

וַיְבָרֶךְ אֱלֹהִים אֶת־יּוֹם הַשְׁבִיעִי וַיְקָרֵט אֶת־
כֵּי בֹ שְׁבַת סְכָל מֶלֶאכָתוֹ אֲשֶׁר־בָּרָא אֱלֹהִים לְעֹשָׂות:

Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit illum. Nam eo quievit ab omni opere suo quod creavit Deus, ut faceret. Nonnulli quidem hæc verba hic loci à Mose per προλόγιον allata esse censent, quia cum hæc scriberet, sanctificatio Sabbati Israëlitici jam facta esset, hujusque sanctificationis ratio à finito creationis opere petita, illi non incommodam occasionem suppeditaret, ejus rei hic mentionem injiciendi. Neque in hac sententiæ quicquam absurdum est, neque tales προλόγιον in narrationibus historicis in Sacris litteris, & ipsis Scriptis Mosaicis, planè inusitatæ sunt, v. Exod. XVI, 35. &

& conf. Glash. Lib. IV. T. II. Obs. 28. ut adèo hæc explicatio immeritò à nonnullis acriùs perstringatur. Interim tamen negari quoque non potest, esse hanc πρόληψιν ex figuris grammaticis, ad quas absque necessitate quadam non est configiendum, tum quoque non facile fortè exemplum ostendi posse, ubi in simplici narratione historicâ aliquid insertum sit, ultra bis mille annos demum seriùs gestum, neque ullum indicium in ipsâ narratione historicâ exstare, unde colligas, tanto temporis intervallo post, id demum auctum esse, quin imò ipsam benedictionem & sanctificationem hujus diei cum quiete Dei, quæ in initio cum abso- luto creationis opere contigit, in eodem filo narrationis conjungi, nec si innuere Moses voluisset, hæc quoque tempore verè tum conjuncta fuisse, aliis verbis, quām quibus nunc usus est, uti potuisse. Quare & ipse Summus COCCEJUS in Comment. ad hunc locum πρόληψιν planè rejicit. Atque hanc ob causam verba simplissimè sumta innuunt, Deum jam tum diei huic *septimo*, quo quievit seu cessavit à novis operibus producendis, *benedixisse*, *eumque sanctificasse*. Quo quid innuatur, luculenter satis ipse modo laudatus Summus Scripturæ Interpres exsequitur, scribens in Cur. prior. *Potest intelligi, 1. quod cessando sanctificaverit, & benedixerit, sive gloriose fecerit ceteris diebus, in quibus operatus aliquid fuerat. Ceterorum enim gloria est opus ali- quod partiale: hujus gloria est Deus, in toto opere manifesta- tus & laudatus. Et ceteris diebus quæsitus fuit, quod hoc die acquisitum. 2. Quod diem hunc insumerit homini infor- mando & edocendo. Sine dubio enim non intermisit hominem à se creatum statim de salute sua & officio edocere, quod factum esse, ex historiâ liquet. 3. QUOD EXEMPLUM ET MONUMEN- TUM HOMINI RELIQUERIT SUO FACTO, EX OMNI LABORE SUO AD QUIETEM IN DEO ADSPIRANDI, ET CERTUM TEMPUS AD SEPONENDUM LABOREM SUUM, ET SE IN COMMUNIONE MUL- TORUM IN DEO OBLECTANDUM, SUMENDI. 4. Quod animo destinavit, de septimo quoque die, aliquando præcipere, & illo præcepto homines de abnegatione sui, de amore Dei, de*

24
23
22.6
2 27
19
16
15
14
13



pace conscientie in Christo, de charitate, de vita aeterna
aliisque mysteriis admonere. Quod si igitur Deus ipse exemplum
& monumentum homini reliquerit, CERTUM TEMPUS ad
seponendum laborem suum, & se in communione multorum in
Deo oblectandum, sumendi: quid proprius, quid conve-
nientius erat? quam ad id, ipsum illum in primis diem su-
mere, quo Deus non solum hoc exemplum dederat, sed
& homo in memoriam sibi absolutum creationis opus re-
vocando, de suâ aliarumque rerum omnium à Deo depen-
dentiâ, & fine, ad quem omnia destinata essent, efficacis-
simè poterat convinci. Quod si verum sit, quod Judaei
plerumque tradunt, Sabbato, hominem quoque lapsum,
à Deo iterum in gratiam receptum esse, ut ex eorum testi-
moniis apud Cl. MEIER. de festis Hebraeor. Cap. IX. §.
XXIV. videre est, quis dies in primis eum post lapsum ad
cultum Dei magis excitare potuisset, quam is, quo gratiae
postliminiò spes eidem facta esset?

3. Denique & eodem egregiè quadrat, quod ante in-
stitutum in monte Sinai Sabbatum legale, Moses, jam
ejus, ut diei antea cuique Israëlitarum noti, mentionem
injiciat, Exod. XVI, 23. *Et dixit illis, hoc est, quod locutus
est Dominus שְׁבַת־קָרְשׁ לְרוּחָ מָחָר* Sabbatum
sanctæ quietis Domini eras est, quod coquere vultis coquite,
eet. & com. 25. *Et dixit Moses, edite id hodiè, quoniam
hodiè est Sabbatum Jehovæ, hodiè non invenietis illud (manna)
in agro.* Sex diebus colligitis illud, at septimo die, Sabbato,
non erit illic. Certè non possunt hæc verba pro primâ in-
stitutione Sabbati sumi, quia nil planè illis ostenditur,
quod in celebratione Sabbati observandum, sed tantum
monerur, illo die, ut jam note, non colligendum neque
inveniendum esse manna, contra solemnis institutio Sab-
bati Legalis & Mosaici, demum facta est deinceps in monte
Sinai cap. XX. Neque magni momenti sunt, quæ pro-
contraria sententiâ adferuntur. Ut quod in statu integri-
tatis commodum habere locum non potuerit, quoniam
ibi omnes dies gloriae Dei erant impendendi, nec sanctifi-
catio,

catio, cuius Sabbatum signum erat, Ezech. XX, 12. tum
 adhuc locum habuerit, quia uti posterior locus clarè de
 Sabbato Israëlitis dato agit, ita homini in statu integritatis
 etiam hortus labore, licet absque molestiâ, colendus erat,
 atque adeò & quoddam tempus seposito labore, ut modo
 Summi COCCEJI verbis audivimus, ad oblectandum se in
 communione multorum in Deo, impendi potuisset. Ned
 dicam Deo, cui nota sunt *απ αιωνος παντα τα εγγα αυτον*, etiam
 ignotum minimè fuisse, statum integritatis non admodum
 longæ durationis futurum. Non majoris momenti est,
 quod nullibi celebrati, ante Legem Mosis, hujus diei, ve-
 stigium inveniatur, neque enim id adnotare magno opere
 intererat, si & ipsa consuetudine satis notum esset, &
 nihil hic dies aliud peculiare haberet, quam quod illo in-
 primis solemniori Dei cultui vacarent, ingensque adeò in-
 ter illum & Sabbatum Mosaicum discrimen esset, ut in se-
 quentibus videbimus, & aliorum temporum cultus publi-
 mentio nulla occurrat, licet ea verè fuisse, res ipsa flagi-
 tet, & omnes passim Scriptores agnoscant. Quod si autem
 meritò locus Exod. XVI, 23, 25. ut visum, eò referatur, nescio
 an clarius in Scriptis Novi foederis, pro die primo Christianorum
 sacris destinato (de quo tamen cum ratione dubitari
 nequit) inveniatur, quam hic, pro septimo, ante latam
 Legem est. Frustra quoque ad Judæos, Sabbati observa-
 tionem ante Legem Mosis inficiantes, provocatur. Id enim
 non nisi, de Sabbatho genti suæ per Legem Mosis imperato
 intelligunt, nam ceteroquin iidem simul inculcant, ipsi *Adamo*
 diem illum jam observatum fuisse, imò (licet absque omni
 fundamento) Psalmum XCII. in diem hunc conscriptum,
 eidem tribuunt. Non minus ab *Abrahamo*, *Jacobo*, *Zobo*,
Israëlitis in Ægypto, imò nonnulli, ab omnibus ad quos
 memoria creationis pervenit, hunc diem aliquo actu reli-
 gioso, celebratum fuisse sciscunt. Et quando afferunt, in
 Mara esse institutum Exod. XV. id tantum de renovatio-
 ne, quoniam antea in oblivionem venerat, explicant. Loca
 singula hæc comprobantia adferre supersedeo, cum hic
 otium

otium mihi faciant duo in his versatissimi Viri, qui eos satis magno agmine adduxerunt, SELDEN. *de Jur. Nat. & Gent.* Lib. III. cap. IX. seqq. in primis XIII. & MEIERUS *de Fest. Hebr.* Cap. IX. Atque hinc jam patet, hoc Sabbathum nihil cum Sabbato Israëlitico commune habuisse, nisi quod idem hebdomadis dies cultui sacro in primis destinatus fuerit, nec cessatio à labore propriè imperata, aut ut actus religiosus, & in se Deo gratus, observata, sed in tantum solùm, in quantum, ut in cultu rationali, homo se positis laboribus ad meditationes sacras & reliqua exercitia cultus divini aptior est, sive adeò & ipsa cessatio à labore, pro rebus, quae circumstarent, major minórve fuerit. Atque hoc sensu non male dicere videtur Menasse Ben Israël *de Creat.* Probl. VIII. *Quicquid eā de re sit, certum est, eos omnes, qui per traditionem à majoribus suis creationem mundi acceperunt, etiam observasse sabbatum.* Et quamvis alii quidem illo die adhibitis quibusdam ceremoniis coluerint Deum, & preces ad eum fuderint, nihil minus tamen alii quoque illo die quieverunt, & feriati sunt.

De aliis peculiaribus diebus, & temporibus festis, nihil quoque satis certò quidem constat. Interim vix dubitari tamen potest, Patriarchas & Viros pios omnibus modis studuisse doctrinam religionis propagare, eumque in finem & tempora maximè opportuna, ut singularibus rebus gestis aut beneficiis divinis insignia, ad id electa fuisse. Sic locutio **מִקְדָּשׁ יוֹמִים** *in fine dierum, de tempore oblati à Caine & Abele doni usurpata, Gen. IV.* omnium commodissimè *de fine anni accipitur.* **יְמִינָה** enim s. dies sæpius in Hebræis annum innuunt, v. *Jud.* XVII, 10. *1 Sam.* XXVII, 7. *2 Sam.* XIV, 28. & **יְמִינָה** & **יְמִינָה** dies & integer annus clarissimè alternant. *Lev.* XXV, 29. vid. illic R. S. J. & ABENESR. conf. & Bochart. *Hieroz* T. II. Lib. IV. cap. X. atque adeò indubium videtur, hunc finem anni, jam tum ad id electum esse, ut pro omnibus illo anno à Deo concessis donis, frugibus agri, & felici pro-



proventu pecudum ipsi hac ratione solemnes grates agerent. Imò vero admodum est simile, id quod tempori huic adeò conveniens erat, non tum solum, sed & dein, & forsè etiam ante observatum jam esse, licet tum solum ob tristissimum eventum, adnotatum fuerit. Et quis de aliis diebus festis, quarum diversissimæ occasiones esse potuerunt, cum ratione ambiget? Saltem cum Moses & Aharon primùm Pharaonem convenientes dicerent Dei nomine, *sine populum meum proficiisci, ut mihi festum celebret in deserto*, Exod. V. 1. de hac re ut illo ævo, ne ipsi quidem Pharaoni ignota, loquuntur. Quin & alii casus extraordinarii exstare poterant, qui religionis exercitiis ansam præberent. Quis ex gr. dubitare potest? Abrahamum, quem Deus ipse hoc elogio ornat, *novi quod præcepturus sit liberis & domuisuæ, ut viam Iehovæ servent*, cum in ablatione Isaaci magnum convivium suis appararet Gen. XXI, 8. non comedationibus indulsisse, sed Deum simul celebrasse, ejusque bonitatem, fidem, & promissiones de Messia ex Isaaci posteris prodituro, inculcasse atque commendasse. Quod ipsum fortè sannis Ismaëlis occasionem præbuit, quibus Sara permoveretur, ut ejus expulsionem tam seriò flagitaret, Deusque hanc flagitationem comprobaret.

§. XIII.

Singularis prærogativa populi Judaici erat, quod Deus cum illo præ omnibus aliis populis, FOEDUS erexit, & sacrificiis externisque signis comprobavit. At nec hæc res plane nova, sed ad illam diu ante via strata erat. Eam sanguinem causam Deus ipse dudum foedus cum Abrahamo & ejus semine exerat, sacrificiis firmayerat, gentesque extra familiam Abrahæ excludere cœperat. vid. Gen. XV. Atque hac occasione verbo in transitu intactum relinquere non possum, singularem *negotiorum*, quod dissectis animalibus, partibusque eorum in regione sibi invicem oppositis, Schechina, instar lampadis ardantis, per medium illarum, in solemnem foederis

E

con-

24

23

22.6

2.27

19

16

15.

14.

13.

DFG

confirmationem transibat; comm. 9-18. Cui rei simile quid in solemn ratificatione foederis, sub oeconomia Legis deprehendimus, Jer. XXXIV, 18. Inprimis sacratissimum illud foederis sinaitici signum, *circumcisio*, quâ quis obstringebatur ad totam Mosis legem servandam Gal. V. 3. Abrahamo jam data erat v. Gen. XVII. 9. o. coll. Act. VII. 8. atque hinc licet à Mose quoque Israëlitis praescripta esset, non tamen ex Mose, sed ex Patribus erat, ut docet Servator Joh. VII. 22. Atque hæc sunt quæ in cultu facro inprimis occurrunt, at quorum vestigia jam ante Mosen haud obscurè inveniebantur.

S. XIV.

Eorum quoque non pauca in statu politico æquè ac øconomico animadvertere licet. Huc referri possunt jura GOELIS. Quorum vestigia non malè jam in eo quæruntur, quod Jacobus de angelo illo, quem ut fontem benedictionis considerat, ait: **רֹאשׁ מַכְלֵל אֵת הַנָּגָל** Angelus qui me (ut Goël) eripuit ex omnimalo Gen. XLVIII. 16. & Jobus se in summis angustiis solatur: **רֹעֵת נַאֲלֵית** novi (quod) Goël meus vivit. Job. XIX. 25. Licet enim ex sola appellatione **נָזִיר** Nazir Josepho tributa supra §. VII. monuerimus, colligi non posse, votum Naziræatūs jam ejus ævo in usu fuisse, alia tamen hīc est ratio, cūm jura Goëlatus ex talibus principiis originem traxerint, ut seet. sequente ostendemus, quæ in familiis jam mature, si non omni tempore, vigere debuerunt. Erant quidem hæc varia, sed omnia tamen in eo tanquam centro suo concurrebant, ut sanguine proximus, propinqui sui causam asserere tenetur, quod diversis modis fieri poterat, sive illi in periculis, aut ærumnis succurrendo, sive bona ejus asserendo, sive ejus mortem vindicando, quæ omnia licet in Lege Mosis diversimodè proprius determinata sint, non obscurè tamen singulorum quædam vestigia, jam ante latam hanc legem inveniuntur. Certè vix audiverat Abrahamus Lothum

Lothum, fratri sui, filium ab hostibus cum omnibus suis abductum esse, quin armatis omnibus suis & ad partes tractis etiam vicinis sociis, hostes persequeretur, Lothumque cum suis & omni abducta prædâ, in libertatem vindicaret. Gen. XIV. *Assertionis terræ & honorum vi juris Goëlatûs* & quidem pro gradibus propinquitatis exercendæ, memorabile exemplum habemus, in historiâ Ruthæ & Boas, quod accedit, quod & ipsa vi hujus juris ab eodem in matrimonium ducta, & denique alter sanguine propinquior, antequam id Boaso liceret, illi & mulierem & avita bona Solemni ritu *exutionis calcei*, cedere deberet, ut is hac ratione semen excitaret demortuo cognato, noménque ejus conservaret in Israële. v. Ruth. II. 20. III. 7. 12. IV. 1. 3. 4. 5. seqq. Haec quidem omnia contigerunt stante oeconomia Legis, sed tamen nihil hac de re in Lege Mosis constitutum est, quod enim Deut. XXV. 7. legitur, peculiarem tantum casum, de dueâ fratri, qui improlis decesserat, viduâ tangit: deinde id disertè quoque, non ad lègem aliquam Mosis, sed ad consuetudinem, & quidem veterem in Israële usitatam circajus Goëlatûs & ritum exuendi caleci in emtione venditione, refertur ib. IV. 7. Unde merito id proprisco more, in Israële jam ante Legem Mosis vigente, habetur. *Goëlis sanguinis* indicia subobscura, non solum occurunt in Cainis verbis *occidet me quisquis me invenerit.* Gen. IV. 14. quod sane à liberis suis timendum non habebat, atque adeò sine dubio ab aliis, Abeli propinquis ejusque sanguinem vindicaturis, metuebat: sed clarius idem patet, ex constitutione urbium refugii. Non enim dicitur quod ex lege Mosis aliquis personam vindicis sanguinis induere debeat, sed id iterum ut notum & usu receprum supponitur, nudèque dicitur **רָדֵב נָאֵל** *vindex sanguinis homicidam morte adficiet, uti ipse in alterum irruit, eundem interficiet*, & id ne fieret in homicidio involuntario, aut ubi nondum de re satis constaret, asyla constituuntur Num. XXXV. 19. seqq. Juris LEVIRATUS ad excitandum semen demortuo fratri *clarissima* vestigia existant, in histo-

riā *Judæ & Thamaris* Gen. XXXVIII. 6. seqq. Postquam enim promogenito *Er* Thamarem uxorem dederat, illo si-
ne liberis vita functo, eandem dedit alteri *Onan*, atque
hoc quoque absque prole decedente, illi promisit tertium
Sela. Neque id eum merè pro lubitu fecisse, sed ex jure
quodam aut consuetudine, quæ tacitæ alicujus legis vim ha-
bebant, non inde solum liquet, quod maluisset eum illi non
dare, com. 11. sed & ex responsione Thamaris, quæ factum
suum dein justificare quærebat, & ipsius *Judæ* confessione
coni. 26.

Ex eodem exemplo non minus manifestum est, de-
sponsationem jam tum pro conjugio reputatam, eamque adeò
ut adulteram à *Juda* judicatam esse, & mortis supplicium,
jam tum quoque adulteris statutum esse. ib. com. 24.

§. XV.

Licet *polygania* nunquam à Deo approbata, tolerata
tamen & usitata certissimè fuit in populo non solum Israë-
litico, sed & dudum ante, idque non tantum in impia
Cainis progenie, ut in *Lamecho* patet, qui duas uxores
Adam & *Zillam* duxit. Gen. IV. 19. verum & in ipsa familiâ
sanctâ. Ne omnia exempla enumeremus; *Abrahamus* uxori
Saræ, acquirendæ prolis causâ, superinduxit *Hagarem*
Gen. XVI. 3. 4. coll. Gal. IV. 22. Ejusdem nepos *Ezavus*,
Juditham & *Basmat*: imo *Jacobus* præter duas sorores
Leam & *Rachelem*, duas insuper ancillas *Silpam* & *Bilbam*
sibi junxit XXIX. 23. 28. & XXX. 3. 9.

Divortii quoque inter *Judæos* quondam adeò fre-
quentis, speciem quandam, at in multis tamen distinctam
cernere est, in *Hagaris* expulsione. Gen. XXI. 14.

Inter liberos *PRIMOGENITI* insignibus gaudebant privi-
legiis, neque id tantum sub Lege, sed diu jam ante locum
habebat. Ut autem id rectè intelligatur, probè distinguen-
di sunt *Primogeniti Patrum* & *primogeniti Matrum*. Quod
discri-

discrimen non probè animadvertisse, gravissimo errori Lundii Lib. III. Cap. XLIV. §. 6. & aliis, qui eum sequuntur, ansam dedit. *Primogenitus Patris* dicebatur, qui Patri, ex quacunque etiam uxore, sive in polygamia simultanea sive successivâ, primùm natus esset, qualis adeò unicuique non nisi unus esse poterat. Sed *primogeniti matrum*, qui ex conjugi aliquâ primùm nascebantur, seu, ut Scriptura loquitur, *matricem aperiebant*. Horum aliquis idcirco ex diversis uxoribus plures habere poterat. Posteriorum nullæ antiquitùs erant prærogativæ, sed sub exitum Israëlitarum ex Ægypto Deo demum consecrati fuit, indéque ab illo tempore redimi debuerunt à Sacerdote, unde talis, quoque בָּכָר לְכֹהֶן *Primogenitus Sacerdotis*, aut *Sacerdoti competens*, dicebatur. Piores autem eximiis quibusdam juribus gavisi sunt. Sunt hæc *Præcipua dignitas* seu *Principatus* in familiâ (post Patris obitum) & duplex portio in hæreditate, quæ & *nat' ἐξοχὴν* *הַבָּכָרָה* *primogenitura* & *מִשְׁבַּט הַבָּכָרָה* *jus primogenituræ* dicitur, v. Deut. XXI, 17. coll. 1 Chron. V, 2. & unde talis quoque בָּכָר לְנַחֲלָה *primogenitus hæreditatis* audit, quibus Judæorum plerique insuper addunt *jus sacerdotii* ante legem. Verùm uti prius, absolute loquendo, fundamento desitui, supr. p. 13. evictum dedimus, ostendimusque eorum tantum in sacrificiis publicis, parentum loco, præcipuas partes fuisse (conf. insuper *Celeb. HOTTINGERI* not. in *GODWIN. Mof. & Abar. Lib. I. cap. I. n. 1.*) ita duorum priorum jam satis clara in historiâ Patriarcharum specimina exstant. Dignitatem & præcellentiam præ fratribus tacite in jure primogenituræ agnoscit non solum *Josephus* in *Rubene* Gen. XLIII, 33. & *Isaacus* in benedictione, *Jacobo*, quem primogenitum existimabat, adjudicat, Gen. XXVII, 29. coll. 19. sed & in primis *Jacobus* eandem *Rubeni*, ob violati thori sui scelus, adimit, & præteritis quoque duobus sequentibus filiis *Simeone* & *Levi*, ob flagitium in *Sichemitas* commissum, in quartum, *Judam*, transfert, Gen. XLIX, 3-8. seqq. Germinal autem portionem in hæreditate, sublimioribus qui-

E 3

dem

29

23

22. 6

2. 27

19

15.

14.

13.

dem & obscurioribus phrasibus, Josepho adjudicat. ib. 22. seqq. coll. XLVIII, 13. sed quas non solum exitus, verum & disertum Sacri Scriptoris testimonium extra omnem dubitationis aleam collocavit. Ex hoc enim capite, cum alias Josephi, ut unius ex XII. Jacobi filiis, posteri, unam tantum tribum constituere, & unam sortem in divisione Canaanis accipere debuissent, ex ejus duobus filiis *Ephraimo* & *Massæ*, duæ ortæ sunt tribus, singulisque portio hæreditaria in Canaanis divisione adsignata est. En clarissima Sacræ Scripturæ verba, 1 Chron. V, 1. 2. *Et filii Ruben, primogeniti Israëlis, nam ipse erat (natu) primogenitus, sed quoniam profanaverat strata patris sui, data est primogenitura ejus (jus nempe hæreditatis geminæ) filiis Josephi, filii Israëlis.* Non tamen ut in genealogia jure (nempe altero primogenituræ primo loco) recensetur. Nam *Juda* prævaluuit inter fratres, & princeps ex illo, sed Josepho primogenitura (hæreditatis). Quid? quod dudum ante jam primogenituræ jura maximi habita esse, non solum ex historiâ *Esavi* & profanitatis notâ, illi ob eorum vilipendium inuista, Heb. XII, 16. sed & sollicitâ inde ab initio primogenitorum adnotatione, Gen. X, 15. XXII, 21. XXV, 13. & passim, patet. Verum de his Sect. II. opportuñior agendi locus erit,

§. XVI.

Multi Judæorum, quæ in agriculturâ & re pecuariâ, Deo ipso Auctore in gente suâ quondam observanda, ut quod arbores diversi generis sibi mutuo inferendæ non essent, nec diversi generis animalia ad coitum conjungenda, (quæ Judæi cum aliis ad legem de ~~כל נ~~ seu heterogeniis, de quibus in tractatu talmudico hujus nominis & apud Maimon in *Hileb. Cilajim.* ex professo agitur, referunt) præceptis Noachicis adnumerant, quibus nonnulli quoque interdictum de non castrandis sive hominibus sive animalibus iungunt. Verum uti ne minimum quidem horum omnium

omnium ante legem Mosis, vestigium in Sacris occurrit, ita eruditissimus SELDENUS de *Jur. Nat. & Gent.* Lib. VII. Cap. III. ubi de illis fusius differit, non male existimat, priora duo tantum Noachidis in ditione *Israëliticā*, seu *Proselytis* domiciliī *גָּרִי תְּשֵׁבָה* interdicta fuisse. Ultimus autem ille mos forsitan ante Rempublicam *Israëlis* cognitus non fuit, unde & nullā Lege ad eum coercendum opus fuit. Saltem nullum neque ejus moris, neque Legis illi oppositae indicium, ullibi reperitur. Ceterum deliberato consilio hactenus de decantatis VII. praeceptis Noachicis, non egimus, quoniam sex priora propriè ad principia illa moralia pertinent, de quibus in initio §. I. monuimus, ea ad nostrum institutum non pertinere, & quæ de illis fortè tangenda erunt, ea Sect. II. commodorem locum invenient.

§. XVII.

Ad rem *Judaeorum cibariam* in primis spectat discriminem *animalium mundorum & immundorum*, quod ipsa Mosis lege fuisse declaratum est. Lev. X. & XI. Cùm autem quædam similis discriminis mentio, jam in historiâ Noachi injiciatur Gen. VII, 2, 8. nonnulli hoc non minus quam illud, de *usu animalium ad cibum* intelligunt, atque hinc porrò *κρεοφαγίαν* ante diluvium jam licitam fuisse contendunt. Verum uti contrarium gravissimis rationibus nos adstruxisse existimamus §. III. ita hoc argumentum nimis debile est ad eas omnes enervandas. Quod si enim omnino ad idem discriminem jam Genes. VII. respiceretur, nihil inconveniens foret, statuere, Noachum de illis jam loqui, quæ aliquando *Israëlitis* munda aut immunda declaranda essent, quo sensu R.S. J. ait: *הַתְּהוֹרָה הַתְּרִירָה לְהִווֹת מִשְׁרָאֵל* *Mundum (animal) quod nempe aliquando Israëli mundum futurum.* Neque major difficultas est, unde *κρειτήριον* hujus discriminis illi cognita fuerint, quam unde tot alia Patriarchis perspecta fuerint, aut unde id discriminem, si ad esum jam tum licita

40

licita aut illicita fuissent, innotuerit. At non opus tamen est, ut eo deveniamus, cum non obscuris indicis pateat, denominationem hanc, ad eum horum animalium nullam relationem habere. Id enim si foret, 1. utique jam inde a Noacho utriusque generis animalia cognita fuissent. Quae igitur ratio fuisset, cur 800. circiter annis post, demum characteres hujus discriminis per Mosen indicati, & immunda summam curam enumerata essent, quae certe operosa industria, quod cum reverentiâ dictum sit, supervacanea planè fuisset. 2. Deus ipse diserte innuit, se hoc discriminem populo Israëlitico, & tum primum, & illi soli, ut populo, quem ab omnibus populis sibi separaverat, posuisse. Lev. XI, 2. seqq. coll. XX, 25, 26. 3. Subjungitur eodem libro Genesios VIII, 20. Noachum statim post diluvium ex omnibus animalibus mundis & avibus mundis Deo obtulisse holocausta. Jam igitur cogita B. L. quot tam animalium quam avium mundarum genera dentur, quot in primis tam animalium quam avium ferarum sed mundarum, & perpende utrum vero tibi simile videatur, ex illis omnibus quædam Deo in sacrificia esse oblata? præcipue cum haec tenus, ne vel minimum indicium existet, unde colligere liceat, quamdiu orbis stetit, unquam aliquod ferum animal, licet ad eum mundum, Deo immolatum fuisse. Quid igitur magis probabile est, quam cum duplex sit, ut bene AINSWORTHUS ad Genesios VII, 2. obseruat, animalium & volucrum mundarum ratio, alia in relatione ad homines, qui illis vescuntur, alia in relatione ad Deum, cui offeruntur, hic non ad priorem sed posteriorem respici, atque adeò illa nulla alia fuisse, quam quinque illa genera, *bovinum*, *caprinum* & *ovinum*, ex volucribus autem *columbarum* & *turturum*, quæ deinde non solum altari destinata, Lev. I, 2. coll. 14. sed & jam omnia simul ab ipso quoque Abrahamo ipsius Dei jussu oblata sunt, Gen. XV, 9. Unde & in transitu simul pater, jam ante Legem sacrificia, ad hæc quoque genera fuisse determinata, contra autem illum Genesios locum frustra pro carnis ante diluvium esu adferri.

§. XVIII.



§. XVIII.

Non magis ad nostrum institutum facit interdictum de sanguine inde jam à Noachi temporibus dudum ante Legem Mosis, non comedendo, quod ex Gen. IX. 4. multi colligunt. Ne yea enim hīc quidem de sanguine legitur, sed Deus cum concessione carnis in esum, tantū vetat eam in sanguine suo, id est, carnem crudam comedere. Fusē id deducerem, sed cūm sciam id brevi ab alio ex professō demonstratum iri, hoc labore cūm maximē supersedeo. Non pertinet huc quoque nervus coxendieis, à quo Judæi inde à longissimo tempore abstinuerunt, & in hunc diem abstinent. Gen. XXXII. 32. Fuit enim hæc tantū arbitraria ceremonia in memoriam luxati femoris Jacobi introducta, & cuius in totā lege Mosis ne vola quidem aut vestigium exstar.

§. XIX.

Arque hæc, quæ hactenus excussum, præcipua sunt instituta & ceremonia Legis Mosaicæ quorum indicia jam ante oeconomiam Mosis mihi obversata fuerunt. Fortè illorum adhuc plura sunt, sed quæ hactenus animadvertere non licuit, aut quorum nulla vestigia supersunt. Proximum nunc esset, ut Sect. II. illorum omnium originem investigemus, tum verò Sect. III. ostendamus, cur Deus ea in Lege Mosis demùm populo Israélitico præscripserit, & quid mutationis illis eo ipso accesserit. Sed quia argumentū ubertas fecit, ut Dissertatio inter scribendum, in longè majorem molem quam ipsem cogitaveram, excresceret, alio tempore, hoc nobis, Deo vitam & vires largiente, opus, hic labor erit!

Kai ταῦτα μὲν δῆ ταῦτα,

F

THE-

42

THESES.

I.

Deus est ens summe perfectum.

II.

Ens summe perfectum, perfectissimam quoque exercet justitiam.

III.

Justitiam Deus summam revelat in legibus hominibus praescriptis, premis & penis corroboratis.

IV.

Sic poenae per nexum naturalem peccatum sequentes, hanc virtutem manifestant.

V.

Eadem in mandatis divinis ad peccata punienda revelatur, etiam in iis, quae hostibus revelationis duriora videntur.

VI.

Sic defendimus, praeceptum de excindendis Cananais, mil, huic virtuti contrarium in se continere, nec juri naturae repugnare.

VII.

Ut & Regem Agagum Dei mandato, à Samuele iuste gladio dissecatum esse.

VIII.

10. 11. 12.

VIII.

Falsa sacræ scripturæ interpretatio, aut ex partium studio, aut ex veræ exegeseos neglectu præcipue ortum ducit.

IX.

Locus Matth. XVIII. 17. excommunicationem sic dictam ecclesiasticam non probat.

X.

Differentia inter præcepta & consilia Evangelica in sacris non est fundata.

XI.

Promissiones hujus vitæ etiam fidelibus N. T. sunt datae, & status gratiæ non magis cum felicitate temporali, quam Perpessionibus pugnat.

XII.

Sensus interni, qui explicari nequeunt, non satis certum fidei & conversionis exhibent criterium.

XIII.

Eruditio sine pietate est vanitas, pietas sine solida cognitione saepius in superstitionem abit.

XIV.

Fides salvifica, sine charitate & obedientia mandatorum divinorum, consistere non potest.

XV.

24.
23.
22.
21.
20.
19.
18.
17.
16.
15.
14.
13.



XV.

*Lites de prædestinatione non felicius componuntur, quam
ex sententia Ill. Wolfi de idea electi mundi optimi.*

XVI.

*Usus sacrae coenæ frequentior, sed pius, plurimum con-
fert, ad beneficia morte Servatoris parta rite expendenda &
ad ejus sincerum amorem in nobis excitandum & promoven-
dum.*

XVII.

*Si Christi corpus omnipræsens est, vel illud numero unum
per totum universum extensum esse debet, vel in singulis locis
totum esse.*

XVIII.


*Non prius; quia sic tota terra nostra, non millies mille-
simam ejus partem, pro portione sua caperet; quantula autem
pars inde pro singulis locis oriretur?*

XIX.

*Non posterius; quot enim tum millies mille numero cor-
pora habere deberet?*

XX.


*At non nisi unum numero corpus ex Maria virgine Christus
assumit.*




Index

1. Io. Christ. Guil. Meijer (Prof. C. F. Pollio) Demonstratio hominem integrum, qui progrederitur ad statum confirmationis in bone, nobiliorem esse ac perfectiorem creaturam bonis angelis.
 2. Io. Christ. Muller (Prof. Phil. N. W. Wolf) Demonstratio ex principiis rationis dari corpora Angelorum.
 3. De eo quod nitorum est circa Potentiam Diaboli affirmandam. (Progr.)
 4. Io. Andr. Gottfr. Schetelig de vita humana, imprimis ejus brevitate post mortem huiusq[ue] causis.
 5. Io. Frid. Ritter (Prof. Christ. Matth. Gaffio) de somnis animalium post mortem, contra dormitantes.
 6. Io. Nic. Seipius de Cultu Dei mechanico.
 7. Nic. Nonnen de Proph. S. S. Timore Deum abz Timor Dei.
 8. a. Bernh. Frid. Quistorpius de Notione Filiorum & Filiorum Dei biblica.
b. ————— de Notione Filiorum Dei.
 9. Christ. Matth. Gaffius de Moralitate, Originibus & Finibus Sacrificiorum in genere.
 10. Conz. Irenius de Institutio & Ceremoniis Legis Moysica ante Moysen Continuatio h. Diff.
 11. —————
 12. Fran. Ulr. Rees de Arca Foederis ejusq[ue] Tatis & Significatione eorum mystica.
 13. Lev. Henr. Seelhorp[us] de Termino Vaticiniorum V. T. ultimo.
 14. Nic. Nonnen de Sufficiâ armorum & fractiliterum adversus Cananeos.
 15. Io. Christ. Bergmann de Epochâ N. T. primâ inter omnes discernendâ.
 16. Io. Aug. Welpingerus (Prof. S. T. Baumgarten) de mysticis Christianis & Dei veritate, comunque & recente, oppositio. (Contra Vindictum)
 17. Frid. Aug. Schubart (Prof. Ed.) de Immortalitate Christi & Christianorum.
 18. Ad. Frid. Ern. Fausti (Prof. J. G. Walchii) de Apostolorum Peccatis actualibus.
 19. Nic. Nonnen de Diffidio inter Vocatos Ex-Judeos & Ex-Paganos tempore Apostolorum.
 20. Christ. Aug. Heumannus de Vocatione divina ad ministerium ecclesiasticum.
 21. Christ. Wilh. Weisenborn (Prof. S. T. Baumgarten) de Viris signis Vocationis divina ad ministerium ecclesiasticum.
 22. Ioh. Phil. Fuggerius de Quodentia pastorali ad signa huius temporis composta.
 23. Iar. Tonath. Clefs (Prof. C. M. Gaffio) de lo quod iustum est circa rectanda vel retinenda delicta occulta, etiam ab abdicio.
 24. Io. Christ. Guil. Meijeri Commentatio quâ sur Excommunicandi Ecclesiâ vindictatur.
 25. Steph. Favoskius (de bona hereticorum notitia ab Ecclesiâ se arcellentium, quem Georg. Berti. Pufingerus in Latinum servaver. Translatus, examinavit & Nobilis suis auxit.
 26. Sam. Io. Christ. Lampert (Prof. J. F. Hiller) de Obligatione ad Martyrium.
 27. Joseph. Frid. Bando (Prof. S. T. Baumgarten) de Diferimine virtutum eternarum & aequalium post mortem.







eiusque speciebus Conf. excell. CARL. GOTTH. MVL-
braeceptorem pie veneror, in Philosophia Pract. Vniers.

eciales quae forte adhuc distingui possent haud difficile ad
heratis referendae sunt.

§. XCII.

perfectio. Perfectionis magnitudinem consti-
et multitudo consentientium. In virtute con-
es DEI et libertas spirituum. Illae autem sunt
haec inter finita summum, summa igitur virtutis
er finitas.

§. XCIII.

statui nostro infert realites, ergo voluptatem
abilem aut non; si prius, perfectio est vera.
isi aeterna esset, rationem contineret taediorum,
eius cum statu nostro consentire nequit. Per-
terna.

objectionem petit contra hunc §. 93. ex superioribus,
3. Ille cogitet 1) quod bona huius seculi sint modo hy-
1, quod ex ipsa eorum denominatione patet; hic autem
e loquimur absolute vera, nulli entis intelligentis statui
2) Quod omnia bona transitoria quibus proportionata
petitio, consecataria sua per totam durationem nostram

§. XCIV.

erfectio vera aut est finita, aut infinita. Prior,
i capax sit; nihil quoque sit sine rationata per
libet etiam illius consecatarium consentiat, haec
tione finita successive existant, et consentienti-
augeant; Inde autem perfectionis magnitudo
sequitur quod perfectio vera finita sese semper
em. Perfectio finita, non praegnans, grauida,
est perfectio vera.

apprens cum modo perfectionis speciem habeat per erro-
ne in se sit imperfectio; tandem in taedia degenerat, talis
io hoc respectu admodum sterilis est, foecundum tamen
incipium.